THAVMATVRGVS POLONVS,

Seu

DE VITA ET MIRACVLIS S. HYACINTHI CONFESSORIS ORDINIS FF. PRÆDICATORVM.

Commentarius

F. ABRAHAM BZOVII
S. THEOLOGIÆ MAGISTRI,
ORD. PRÆDICATORVM.

Flores mei fructus honoris & honestatis. Ecclesiast. 24. cap.



VENETIIS,

Apud Societatem Minimam, 1606.

Superiorum permissu.

SANCTO SANCTORVM DEO VNI ET TRINO
ALMÆ DEIPARÆ VIRGINI MARIÆ
D. HYACINTHO ODROVANSIO
SANCTI PATRIARCHÆ DOMINICI DISCIPVLO
ET SOCIO,
PROPAGATORI RELIGIONIS PRÆDICATORVM
IN SEPTENTRIONE,
RVSSIÆ, PRVSSIÆ, LITVANIÆ, LIVONIÆ APOSTOLO
TVTELARI POLONIÆ,
THAVMATVRGO ORBIS,
TERRÆ CÆLORVMQVE SPLENDORI,
OB VITAM IN DEPLORATA VALETVDINE, ET IN
VORTICOSI FLVMINIS VADATIONE PERI-
CVLOSA ALIQVOTIES,
OLIM ET NVPER MIRACVLO SERVATAM,
DONATAMQVE.
F. ABRAHAM BZOVIVS, VOTI CAVSA,
PANXIT, D. O. C.
ROMÆ
ANNO SALVTARI
1606. Cal. Maijs.

Illustrissimo Domino

D. STANISLAO MINSKI,

PALATINO LANCICIENSI CAPITANEO PLOCENSI, Regni Poloniæ Procancellario, D. Colendissimo,

F. Abraham Bzouius S.T. Mag. Ord. Præd. D.C.



ITAM & admiranda operum Diui Hyacinthi Odrouansij, Celsitudini Tuæ mitto, Princeps Illustrissime, Thessera & argumentum opusculi, vi quadam aperte ad te impellebant. Thaumaturgi Poloni vita, sermonis vitta, hic à me in fasciculum deuincta, cui prius aut iustius debebatur, quam Tibi, qui pro ea illustranda, labori indefesso, sumptibus immensis non pepercisti? Legatio illa Tua, apud Clementem Octauum Summum Hierarcham, fœliciter administrata, Decus perenne olim à Regibus, Præsulibus, Proceribus Regni pientissimis, à tot sæculis desideratum, huic Sancto peperit: nempe vt studio tuo in Apotheosim Sanctorum relatus, non vnius Septentrionalis, sed vniuersæ Ecclesiæ Tutelaris

decerneretur, nec ſolius Sarmatiæ,ſed orbis noti & ignoti, ſummis laudibus attolleretur. Beneficium hoc publicum in Regnum,Religionem, Eccleſiam, à te,patrimonio ampliſſimo ob eam rem profuſo collatum, nulla ætas antiquabit, nulla lingua non deprędicabit. Iam verò magna & admiranda facinora Hyacinthi an te non decebant in multigena virtute demirandum? Te priuatum intueor? Pietas Religioni implexa,caſtimonia puritati conſcientiæ iuncta,moderatio vitæ totius comitate grata, te Hyacinthi verum eſſe cultorem indice produnt. Is rectè Diuos coluit, qui eos imitatus eſt. Te Togatum ſuſpicio? Prudentia in conſiliorum altitudine, iuſtitia in æquilibrio veri & recti, grauitas, maieſtas, conſtantia,illudq; amplum virtutis theatrum,varijs ornamentis inſtructum, te lato clauo illuſtrem, Principem ſalutis, publicæq; mentis & legis Polonæ cuſtodem eſſe voluerunt. Cauſæ hæ inquā fuerunt Sereniſſimo Sigiſmūdo Regi, te vt inter ex noſtro orbe Polono ſelectos Proceres, ſapientia, moribus, & vario vſu rerum ſpectandos deligeret, lateri fidum conſiliarium, Reipublicæ columen & lumen. Silentio colo hunc tuum ſplendorem, Vir Illuſtriſsime, quem vt nulla nubes nobis ſubducat, nulla nox recondat, ominor & voueo. Romæ Calend. Maijs. 1606.


Commen-

Commentarios duos, alterum de vita & miraculis S. Hyacinthi, alterum de rebus praeclarè gestis Prouinciae Poloniae Ordinis Praedicatorum, editos à R. A. P. Magistro Abrahamo Bzouio, ex commissione Reuerendissimi P. N. Magistri Ludouici Ystellae totius Ordinis Praedicatorum Vicarij Generalis, legi, & quantum mihi videtur, existimo pios, eruditos, vtiles: nihilque contra Orthodoxam Fidem, aut bonos mores continere: dignosque planè esse qui publicè typis excudantur.

F. Thomas Maluenda Magister
Ord. Praedicatorum.

Idem iudicium ego quoque habui cum praedictos Commentarios ex commissione eiusdem Reuerendissimi Patris Vicarij legerem: ac manu propterea mea propria subscribens supradictam Adm. R. P. Magistri F. Thomae Maluendae sententiam, iudiciumq; confirmo.

F. Petrusp. Philippius ord. Praed. &
S. Theologiae professor.



AVCTORES E QVARVM monumentis, eruta infrascripta.

Processus Canonizationis Sancti Hyacinthi.
Guilelmus Blancus Episcopus Grassen. & Vencien.
Leander Bononiensis.
Ferdinandus Castellan.
Iulius Nigronus.
Hilarion Rangonus.
Cinus Campanus.
Martinus Cromerus.
Matthias Miechouius.
Frater Seuerinus Magister.
Ioannes Duglassius.
Epistolæ & diplomata nonnulla.
Annales Ecclesiæ Cathedralis Cracouien.
Sertum gloriæ Sancti Hyacinthi.
Camillus Ballianus.
Frater Stanislaus Lector Cracouiens.



INDEX CAPITVM

Quæ in hoc opere continentur.

COPIA.

Gli Eccellentissimi Signori Capi dell'Illustrissimo Conseglio di X. infrascritti, hauuta fede dalli Signori Reformatori del Studio di Padoua, per relation delli doi à ciò deputati, cioè del Reuerendo Padre Inquisitore, & del Circ. Secretario del Senato Zuane Marauegia con giuramento, che nel libro intitolato Thaumaturgus Polonus de vita & miraculis S. Hyacinthi: & in vn'altro ancora intitolato, Propago Diui Hyacinthi, da essi veduti & letti, non si troua cosa alcuna contra le Leggi, & sono degni di stampa, concedono licentia, che possino esser stampati in questa Città.

Dat. die 8. Augusti, 1606.

D. Marco Contarini.
D. Zuane Moro. } *Capi dell'Illustriss. Cons. di X.*
D. Anzolo Correr.

Illustrissimi Cons. X. Secretarius
Bartholomæus Cominus.

Registrato nell'off. cont. la biastem. à c. 155.
Gio. Franc. Pinardo Secret.



VITA, ET MIRACVLA
S. HYACINTHI ODROVANSII
POLONI.

Discipuli Sancti Patriarchæ Dominici & Socij,
Propagatoris Religionis Prædicatoriæ in Septentrione.
Apostoli Ruthenorum, Lituanorum, Liuonum, & Borußiorum.
Tutelaris, Poloniæ, &
Thaumaturgi Orbis.

Auctore
FRATRE ABRAHAMO BZOVIO,
S. Theologiæ Magistro, Ordinis Prædicatorum.



CAPVT PRIMVM.

Ortus Sancti Hyacinthi Odrouansij Confessoris.



ADMIRANDA operum, quibus Diuus Hyacinthus æternitatem fœlicem sibi promeruit, mihi scripturo, ab ipsis incunabulis ordiendum fuerat, quiuis, vt in illum dicere possit. Fælix origine: fælix imitatione. Origine. Neque enim, non nullo a Deo ornatur dono, cui illustre obtigit genus, quippe ex quo non exigua adiumenta virtutis. quod mage, si Progenitores sapientiæ, iustitiæ, probitatis, & Religionis Theatrum, quod æmulationi, non admirationi solum, ab ijs natorum. Tales Hyacintho obtigerunt. Vt si etiam ipsi, ex innumero mortalium numero, eos deligendi data fuisset optio, non facile inueniret, quos illis anteponendos iudicaret. Pietate mentis, celsitudine animi, virtutis studio, beneficentiæ gloria, rerumq; immortalitate gestarum.

Pater fuit Hyacintho, Eustachius, Saulis Comitis Odrbuansij F. Natus est ab eo Sanctus Puer, in villa Camien. (Latinis Saxum est) Duca-



tus Oppolienſis, qui tunc Poloniæ ſceptris iunctus erat, Diœceſis Vratiſlauienſis : anno à Saluatore Nato, octuageſimotertio, ſupra milleſimum centeſimum.

Familia Comitum Odrouanſiorum in Regno Poloniæ, Illuſtriſſima, nulli alteri nobilitate ſecunda, ſemper feraciſſima fuit virorum magnitudine ſapientiæ & virtutum cumulo clariſſimorum. Primus huius ſtirpis Parens Saulius, Diui Hyacinthi Atauus : ingẽtibus firmiſſimiſq; immanium Tartarorum, manu exigua, partim ſtratis, partim profligatis copijs, ſibi perennem laudem, poſteris nomen familiæ dedit. libertate parta maxima, vniuerſæ Poloniæ. Auxit proſapiæ decus Saulius eius filius, prope diuino, omnibusq; virtutum ornamentis expolito animo. quod induſtria & fortitudine, Chriſtianæ fidei hoſtibus, ad occidentem non difficilem aditum præcluſit, & fines Sarmatici Imperij non modo protexit, ſed & longius porrexit. Auxerunt ſtirpis gloriam, Euſtachius & Iuo huius Filij. vterque Pietatis cultu, ſapientiæ ſplendore, vitæ integritate, & dotibus animi excelſis inſignes. ille militari ſago, hic toga Senatoria & Epiſcopali, effulgens. Iuo Cracouienſis Antiſtes, ob hoc non intermorituram memoriam ſibi peperit, quod pro Eccleſia ſua multos exantlauerat labores, bina peregrinatione ad vrbẽ ſuſcepta. in quarum ſecunda Mutinæ in Italia diem clauſit extremum. Deinde quod eidem Eccleſiæ dignitatem Archiepiſcopalem neglectam, ingentibus curis recuperauerat. quod hanc opibus non contemnendis auxit. quod templum illud magnificentiſſimum Diuæ Deiparæ in foro Cracouienſi, aliaq; innumera alibi ſumptibus, & operis eximijs exædificauit. quod Xenodochia multa ad pauperes alendos in ſua Diœceſi reliquit. quod ad meliorem normã ritus & mores tum cleri tum populi reduxit. quod Septentrioni vniuerſo religionem inuexit illam, ex qua tantus quidem vtriuſque ſexus, vel ſanctitate vitæ, vel doctrinæ puritate, vel vtraque re excellentium, numerus emanauit, vt vel ſolis ijs Sarmatica Eccleſia, ſi nullos haberet alios, ſatis illuſtrata eſſe cenſeatur. Superauit horum merita, & Famam Hyacinthus Euſtachij Filius, fælix imitatione, & æmulatione fælicior. Nobilitatem plerique malitiæ velamen, imo & occaſionem habeat. De poteſtate enim licentiam facientes, habenas omnes ingenio ſuo, & libidini ſeu cupidini laxant. Hyacinthus eam accepit, columen, & inſtrumentum rectitudinis. Poſſe ſe multa ratus, ſed intra ſapientiæ, & iuſtitiæ orbitas. In ſemine cauſam eſſe ſcimus ſtirpium atque arborum : ſic etiam maiorum Hyacinthi ſatu, eidem egregiæ virtutis indolem ingeneratam fuiſſe nouimus. Deinceps ſcimus quid ſecum ineunte ætate expendebat. Anteceſſorum enim, ante ſuis conſpectibus, poſitis imaginibus, illorum vitam examinabat. quibus inſtrumentis honores adepti ſint immortales, & qua ex re gloriam ſibi pepererunt ſempiternam inquirebat. Maiores mei (ita fabulabatur)

rebus

rebus præclarè gestis, opinionem Diuinæ cuiusdam affinitatis, apud reliquos, sibi conciliarunt. Non igitur mihi degenerandum est ab eis, non sordibus, non ignauia, non scelere obscurandum est clarum genus, sed virtute illustrandum. Non amentia & temeritate conuellendum, & in turbam vilissimorum hominum coniiciendum; sed prudentia, consilio, fortitudine, animi robore, summaq; contentione subleuandum, & conseruandum est. Lumen gentis longe citius quam naturæ postulat cursus extinguere, nefas mihi esto. naturale bonum mihi insertum, vitio alicuius grauæ consuetudinis interimere, sit mihi piaculum. Persequenda illa facta mihi erunt, quæ Patribus meis tantos adiunxerũt honores. Ex virtutis studio, Saul meus proauus adeptus est gloriam. Mihi quoque honestas vnice colẽda est, insolentia fugienda, vitãdæ ineptiæ, non vino & lustris obruendus animus, non luxuriæ labe obscuranda fama, nõ vitio quasi exitiali veneno, mors mihi cõsciscenda. Sauli auo, æquitatis cultura, & magnitudo animi, nobilitatis titulos cõparauit. retinẽda quoq; mihi erit iustitia; enitẽdũ mihi, ne iniquitas aut iniuriæ, aut indignæ contumeliæ, me ex honoris possessione deiiciant, ad magna, & excelsa mihi quoque aspirandum, ne torpor, gloriã & honorem maiorum virtute partam mihi detrahat. Sapientiæ sublimitate, euectus est ad celsam sedẽ Iuo Patruus, illis quoque disciplinis meum imbuam animum, quibus instructus, facillime possim Reipub. Christianæ, consilio, prudentia, solerti studio, magnam opem in magnis rebus proferre.

Hac ratione, Hyacinthus nobilitatem sibi nihil cogitanti se arbitrabatur, atque ad præclara semper suscipienda, & complectenda semper protendebatur. Euenit, vt nobilis genere, bonitate, & facilitate esset nobilior, illustris auorum gloria, sed proprijs meritis illustrior, florens maiorũ factis, sed suarũ virtutũ lectissimis ornamẽtis florentior, Patre liberali, honesto, sed sua probitate, & puritate insignior. Fælix origine. Fælix imitatione. Fælicior æmulatione maiorũ ad maxima & amplissima, Flos Odrouansiæ pulchritudinis virtute venustissimus Hyacinthus.

CAPVT SECVNDVM.

Nomen Sancti Hyacinthi.



A Sacro Fonte, tulit nomen præclarum Hyacinthus, non forte fortuna, sed Diuina monitione. quæ Eustachium Patrem in eam impulit mentem, vt illud nomẽ, Hyacinthus, puero imponerat, quia eius & mores futuros deceret, & magnitudini virtutis atque laudis ipsius maxime conueniret. Hoc enim siue a gemma, siue a flore Hyacintho ducatur, rite Sancto infanti quadrat. Siue etiam ethimon ipsius spectes e Græ-

co translatum: thessera est probitatis, & Sanctitatis qua effloruit Hyacinthus. Zinthicos Græcis a quo originem habet Hyacinthus, significat mobilem, & flexibilem ad omnes formas. Ob eam rem, & gemma illa, quæ ad quamuis aeris mutationem vel clarescit, vel obscuratur, Hyacinthi agnomen accepit. & Flos ille qui primo vere agmen aliorum post se ducens, violaceum, cœlestem, subpurpureumq; refert ex radice multicolorem, eodem nomine gaudet. Propter varios quos ex motatione solis refert colores. Hyacinthus ergo idem erit, quod æmulator omnium virtutum, qui contentione sedula, vel ad omnes moueatur, vel omnes adeptus fuerit, Diuinorum ornamentorũ perfectiones. Iactabunt alij, propter Diuinorum secretorum cognitionem, Seraphicorum titulos sibi attributos. alij Catholicorum, Fidei & Religionis Defensorum, & Victorum, propter auctam pietatem, vel protectã Ecclesiam, vsurpabunt. Parthenij, Casti, Pij, Zelantes, Compositi, humanæ delitiæ, Cultores iustitiæ, Patientes, Inuicti, Illuminati, Sancti, Contemplatiui, Patres Patriæ, Publicolæ, & alijs Symbolis, insignes, erunt in ore omnium. Hyacinthi nomenclatura, has omnes complectitur, sicut & omnium horum, quibus propter admirabilem totius decoris, & honestatis elegantiam, propter animi excellentem magnitudinem, splendorem iustitiæ, puritatis candorem, & sanctitatis pulcherrimam speciem, hæc magnifica, & admirationis plena indita sunt epitheta, assecutus est, quin & multos multis partibus superauit. Quapropter dum Eustachius supremi Numinis afflatu nomen puero Hyacinthus indidit, non potuit magis augustum, & magis illustre, post Diuinum, & Deiparæ Virginis nomen inuenire, quod ei splendore, maiestate, & decore amplissimo æquiparari possit. Quod enim Hyacinthum appellauit; præuidit forte futurum illum talem, qui ingenuas artes, naturæ secreta, Diuina mysteria, & Cœlestem supremarum mentium disciplinam, insigni eruditione adipisceretur, adeptamq; vel communicaret, vel etiam in Ecclesia Fidelibus participatam, tueretur. Quod Hyacinthum nuncupauit, præsagiebat, quod ille auspicio suo Ecclesiam Septentrionalem, laboribus defendere, & propagare, errorum zizania ex latissimis partibus Aquilonis, & Orientis euellere, Fidei lumen ad idololatras inferre, res Christianas oppressas erigere, & stabilire, immanissimum salutis nostræ hostem fundere, & de eo gloriosa reportare trophæa, quandoque deberet. Quod Hyacinthi titulum ei affinxit. Significauit virum, qui suo tempore, morum verecundia, & probitate, mentis candore, corporis castimonia, mansuetudine animi, iustitiæ zelo, rerum fluxarum contemptu, austeritate vitæ, cæterarumq; virtutum claritate amorem omnium in se excitauit. Illum appellauit, dum Hyacinthum vocauit, qui nec carnis nouit vllum vsum, nec mundi blandas voluptates expertus, nec flagitio mortali contaminatus vnquam fuit, qui

in

in viam paradisi multos verbo, & opere deduxit, qui multo studio pietatem coluit, qui sua se voluntate priuauit, qui animum cupiditate Diuinitatis inflammatum gestauit, qui tota contentione ad Cœlestium cõsortium aspirauit, qui, vt breuiter dicam, præstanti dignitate, & magno quodam Diuinitatis participatæ splendore plurimos anteiuit, omniumq; virtutum gloria maximus & florentissimus extitit. Valeant Publicolarum vani tituli. Hyacinthus Publicolam significat, quod multos vinculis peccatorum colligatos, seruituteq; Dæmonum pressos, in publicam libertatem asseruit. Eant benefactorum nomina. Hyacinthus benefactorem designat, qui innumeris beneficijs, non modo Septẽtrionem & Orientem, sed fere nunc vniuersum orbem miraculorum opificio ornauit. Non inuidemus alijs, gladiorum & fulminum belli epitheta. Hyacinthus & fulmen & gladium signat. illud propter alacritatẽ & promptitudinẽ, qua in reb. gerendis, inque curanda salute humana vtebatur: iste propter inuicti animi robur, quo Satanam deuicit, quoque Rempub. Polonam immensis cladibus alijs super alias toties afflictam, potenti protexit intercessione. Catholicorum nomen alij sibi venditabunt, Hyacinthus quoque Catholicum significat, quod Catholicam fidem longe lateq; prædicauit; quodq; non oppida, non vrbes tantum, sed Prouincias, sed Regna vastissima, eiecto infidelitatis Principe, in Ecclesiæ vniuersalis gremium accepit & dedit. Porro si Hyacinthi nomenclaturam a gemma vel a flore duxeris; vt in his ambobus, singulari dignitate præstat Hyacinthus, sic in puero præstantissimum quid designabit. Gemma Hyacinthus, inuictam fere sibi vendicat soliditatem, quippe qui adamanti tantum concedat. & sublimi quadã est insignitus qualitate, qua ad Cœli mutationem (Solino teste) vtpote Cœli consors transmutatur. & plurimarum vi occulta est medela ægritudinum. Flos vero, cum verno tempore hyemis rigores propelluntur, & terra nouum induta splendorem, videtur aurea sæcula referre, præcursor & prænuncius est aliorum; in venustissimo florum agmine primus, discolor, nempe ceruleus, cœlestis, subpurpurascentesq; characteres, Ah quasi dolentis ex se effingens, sanctus quoque puer, magnum Familiæ Odrouansiorum decus, insigne Religionis Prædicatorum & Ecclesiæ ornamentum, præstantissimum ad instar micantis Hyacinthi Orbis lumen, ob inuictam animi fortitudinem, qua nulli aduersitati cessit, ob perpetuam erga cœlestia charitatem, qua se in omnia virtutum lumina efformabat. ob singularem, & nunquam perituram vim, qua morbos, quibus ad extremum vsque spiritum conficiuntur homines, depellebat, ob Principatum in areola vetustissimorum ex sanctimonia florum, quos in Septentrione & Oriente, post gelidum Bruma Barbariei, primus cœlestium meditatione & æmulatione, honestatis pulcherrimo studio, charitatisque ardor purpureo antecessit, ipseq; agmen eorum, in hoc vere gratia ducit.

ducit. Deniq; ob Ah dolentis & suspirantis, in corde & ore expressum, illud pro noxis aliorum, hoc pro desiderio fruendi Cœlestibus, merito Hyacinthi titulo ornatus prodijt a Sacra regeneratione.

CAPVT TERTIVM.

Pueritia S. Hyacinthi.

PVER Hyacinthus, per surgentis infantiæ gradus, indies sensim adolescens, non puer fuit, sed vir, non annis, sed animo, idque propter summam virtutis, in ætate tenella præmaturè conceptam. Diuina prouidentia quæ illum ad excelsa natum esse voluit, iam ab ipsis crepundijs, supremæ eius pulchritudinis desiderio maximo tenebatur. quare ad instar lapidis pretiosi expolire illum statim e cunis cœpit, vt esset, & stabilitate firmissimus, & multiplicis sapientiæ splẽdore clarissimus, & illustrissimus ornamentis honestatis. Animo igitur illius ad omnem motum flexili, primo insæuit semina quædam rectitudinis & probitatis, lumen deniq; suum in mentem ipsius immisit, quo speciem effulgentem ac emicantem sanctimoniæ contueretur, & complecteretur, omneq; illud quod ab orbita æqui & recti deflectit abhorreret & fugeret. Satura fœlicissima fuit: nam vt semen quamuis exiguum, in bono solo sparsum, facile se explicat, & ad frugem maturascit, sic scintillæ virtutis in bona illius mente. Luminis deinde perfusio, adeo suum in animo ipsius exeruit fulgorem, vt quid agere, quid fugere prius, quam viuere didicerit. A teneris vnguiculis, primum id ante ocellos habuit, Deum regnatorem omnium, arbitrum, inspectorem operum, consiliorum, mentisq; suæ esse, vt pote, cui nihil clausum, nihil abditum, quique interest animis humanis, & cogitationibus medijs interuenit. nec solum inspectorem, sed iudicem eundem, & vindicem fore, boni vel mali facinoris, qui vt bonos honore, ita malos dedecore sempiterno afficere potest & solet. Ab ista de Deo optima existimatione, pietatis exordium habuit. & hinc, cultũ, venerationem, & reuerentiam erga eundem, religiosa mente haustam expromere orsus est. Cultum quidem imprimis, pura, integra, incorrupta, & mente & voce Deum veneratus. Nam aureum illud dictum, impresserat sibi. Optimus animus, pulcherrimus Dei cultus est. Venerationem vero, in animo, & ex animo Deo vota, laudes & grates, ritibus Catholicis & gestibus deuotis exhibens, pronus præstabat. Porro reuerentiam adorandi numinis, se aspectibus, ipsius, immaculatum ab omni labe statuens habebat, & dum quandoque stimularetur ad malum, aiebat: ne Diuinos obtutus offendito. Aspiciunt oculis superi mortalia iustis. Bonum malumque facimus nullius pro nihilo habetur, sed ex

natura,

natura, diuersa præmia bonos malosque sequuntur.

Cultum illius erga Deum repeto. A culla iam tunc infantulus Deum obnixè pura conscientia obsecrare, lachrymas in oratione fundere, Diuinam salutare matrem, prostrato corpore dies & noctes pro suo in mũdum salutari ingressu, proque salute aliorum compellare, iam Ecclesiarum non tantum limina sed etiam mysteria frequentare, Dei verbum ex Sacerdotis ore, intento corde percipere, assiduaq; meditatione contemplari, & si quid legi Diuinæ contrarium videret a quopiam fieri, ad Sacerdotis vocem omnia deferre, Sacerdos sic iussit, iussit altior illa potestas, sic e suggestu institutum, & alijs modis ad sanctitatis studium pertrahere solebat. Cerneres elinguem querulum, balbutie sua Chrisostomum quendam vel Nazianzenum agere. Obseruabat pater Eustachius puerum, grauissima nonnulla ante ætatem efferentem. Stupebat de rebus differentem Diuinis, & cœlestia iam deprædicantem in audita mysteria, attenta aure auscultabat. Veneratio autem interna Dei, tanta ab eo habebatur, vt pietate, religione, moribusq; plurimos seniores anteiret.

Elucebat iam tum atque eminebat, in illis teneris annis, maxima ad virtutem indoles, & semina illa, illæq; honestatis scintillæ, in eius animo reconditæ erumpebant & apparebãt. Mores infantiles iam tum significabant satis, quæ sanctitatis eius futura esset messis, quæ virtutum maturitas, qui denique fructus honoris & honestatis. vt ex hinc omnes spem maximam summæ sapientiæ, & summæ probitatis alij de eo conciperent. Mirabatur qui vel viderant incedentem, vel loquentem audierant Hyacinthum, tantam in eo grauitatem & prudentiam, facilitatẽ, comitatem, modestiam, beneuolentiam, omnes iuuandi, ac subleuandi studium, solidam in animi sui salute Diuinaq; gloria procuranda religionem suspiciebant. Apud Iuonem quidem Patruum Cracouiensem Præsulem propter expectationem quam de se summam concitarat, tanto in amore erat, quantus indulgentissimi simul & sanctissimi Patrui, erga nepotem candidis moribus esse potuit. Tanto vero in honore ac pretio, vt quodam quasi futurarũ rerum augurio, sæpe dicere soleret. Hyacinthum suum nepotem sanguine, alumnum educatione, institutione discipulum, fore successione Episcopum, vel doctrina insignẽ Dei præconem, decus deinde ac lumen omnium, qui vnquam ex Poloniæ Regno sancti illustres extitissent. Domus suæ parietibus inclusus, tanta numinis reuerentia quasi habenis quibusdam cohibebatur, vt nihil vnquã indignum se & Deo aliquid ageret aut moliretur. Tempus quod studio pietatis sibi concessum arbitrabatur, non in læuitates impendebat, non in ludis, aut voluptatum illecebris conterebat, maximè verò in illo ætatis flexu, quo sæpè deliciæ ac voluptates diutius inclusæ, & prima ætate compressæ atque constrictæ, subito se profundunt, & vi quadam

erum-

erumpentes, animum puerorum ad dedecus, & flagitium pertrahere nituntur; ille summo studio & acerrima contentione mentis repressas cōtinebat. Si quæ vero inaduertente eo, ex illo durissimo carcere proruissent, reprimebat & cohibebat. Quam ob rem peccatum, magis quā mortem deuitabat. Delicias victus, ac si venenum quoddam respuebat, luxuriam vestium aspernabatur, morum effęminatam mollitiem detestabatur, coæqualium lasciuiam abhorrebat, ne occultis ac tectis Satanæ deuinceretur artibus, hostem omnium perniciosiorem inopia cibi, tenuitate, & asperitate opprimebat. Misericordiæ & pietatis viscera iam etiam tunc aperiebat. Si quem inopem aut mendicum, paternis foribus astantem cerneret, accurrebat ad parentes; & vel ab eis impetrata, vel suis vsibus concessa largiebatur. Si alium quouis casu acerbo miserè afflictum sciebat, volitabat ad eum, verbis solabatur, & quantum poterat iuuabat. Ingeniosæ ipsius industriæ tam celeres vberesque motus, tam constantes erant & clari, nihil vt a communi æqualium sensu remotum esset, quod ille si paululum sese excitabat, vel ad orationē conuertebat, non facile admodum, & perspicue intelligentia comprehenderet. In omni denique genere virtutis, supra ætatem & supra vires præstabat cæteris & antecellebat. Infans erat ætate, sed prudentia, consilio, grauitate & honestate senes quoque plurimos præibat. Illas sententias dicitur fere semper in ore habuisse: Bonos inter magis quam claros numerari; & esse quam videri probus malis.

CAPVT QVARTVM.

Maturior ætas S. Hyacinthi.

IN vndoso mari cursum rectum tenere, & in summa iuuentæ licentia, non abripi licentiæ ventis, summa fœlicitas, summa virtutis laus est. Adeptus est eam Hyacinthus. Dū enim ætas ferueret, ne transuersum quidē vnguē, ab honesti norma discessit, sed æquam in moribus, & omni actione vitam traduxit. Quo infans imbutus fuit candore & decore, eundē adolescens seruauit. Animaduertebat hoc draco teterrimus, qui inuidiæ facibus adustus, semper in hominum perniciem intentus est: & cum primum, in prima ætate, quasi naturæ bonitate, non autem virtutis aut gratiæ Diuinæ impulsum illum cogitasset, nec multū impediuisset, mox ex progressibus maximis probitatis, se in iudicio errasse intelligens, tempusque nequitiæ suæ opportunum in prouectiori æuo, atque ipso flore iuuentæ, nactū se esse iudicans, pessima omnium æmulatione disruptus statuit ipsum aggredi, & imparatum repentinis insidijs adoriri. Hinc generis nobilitatem ob oculos ponere, modò diuitiarum copias vsui ad

omnes

omnes voluptatum illecebras ostentare. deinde cupiditatum lenocinia, quibus illa ætas consueuit pellici obijcere. Formæ venustatem, florem ætatis, sociorum voluntates, facilitatem peccandi. Licet aiebat quod libet, suauitatem mundi oblectamentorum pingere illi pergebat, tanto actu & versutia, vt iam securum sibi esse diceret, de Hyacintho capiendo consilium. At Spiritus Domini, qui Hyacintho aderat propugnator acerrimus, vt eum tot discriminibus submoueret, atq; in adolescentis perniciem contexta veteratoris machinamenta, fallacesq; decipulas perrumperet, in Patrui eius Iuonis Episcopi Cracouiensis, qui propter eximiam pietatem, morum integritatem atque cœlestium amorem Sanctus habebatur, mentem induxit. vt adolescentem Hyacinthum in suā disciplinam reciperet, atque indita sibi præclarissimarum illarum dotū semina coleret & efformaret. Aula siquidem illius, virtutis seminariū, non ganeonum aut Parasitorum popina fuerat. Didicerat a Lacedæmonijs, fidei commissos suæ, vitæ inculpatæ exemplo instituere. Sic Lacones, instruebant iuniores. Cum eos admonerent, ait Xenophon, vt temperantiam discerent, plurimum conducebat, vt viderent senes ipsos, quotidie frugi esse. Cum traderent præcepta parendi magistratibus; coram illis magna demissione obediebant Senatui. Iidem iuxta Anacharsis & Platonis consilium, pueros ad conuiuia vinolentorum hominum ducebant, vt temulentiæ turpitudinem intuentes, quasi perosi ignauiā, a vino & luxu promptius abstinerent, ac tā tetri aspectus, vt est ex ebrietate, tantiq; dedecoris, vt est ex luxu, non solum pigeret, sed etiam puderet. Ad eum modum Iuo Episcopus Hyacinthum erudiebat. Nihil ille præclari, siue domi, siue foris, siue in Ecclesia, siue in Palatio moliebatur, cuius rei Hyacinthum non faceret conscium. Non eum a consortio, non a mensa, non a cubiculo, non ab orationis secreto loco separabat, omnia arcana cordis sui, quin & viscera ipsa illi patefaciebat. Disce, aiebat, puer ex me virtutem. Cupiebat vt Hyacinthus, Diuinæ sapientiæ studio se addiceret: Libros ille ante conspectum eius voluebat, assidueque meditabatur, & quæ ex lectione siue præsenti, siue præterlapsa, didicerat, memoria repetebat, & Hyacinthum suo exemplo, ad pulcherrimam scientiam capescendam pertrahebat. Desiderabat, vt Hyacinthus, maiorem temporis a curis vacui partem, in orationibus ad Deum eiaculandis insumeret; In oratione ardētissima siue priuata, siue publica, animo demisso, & vehementissimo feruore persistebat, Charitatis viscera Hyacintho ingenerare exoptabat; Vbi insigne quoddam Christianæ pietatis opus faciendū erat, Hyacinthum ducebat, vt optimæ indolis iuuenis ignem dilectionis, ex igne Patrui concipere posset. Sequebatur nec segniter, Hyacinthus Præsulem, anteeuntem. Quicquid ab eo fieri conspiciebat, id totum efficere, quin Pontifici præire potius adnitebatur. Vnius aut alterius forsan

horæ ſpatio perſtabat Iuo in oratione. Hyacinthus noctes inſomnes, in contemplatione altiſſima ſupernorum bonorum, & in conſortio Diuino tranſigebat. Iuo ieiunio crebro; Hyacinthus eodem frequentiori, cilicio inſuper aſpero, & flagris duriſſimis corpus perdomabat. Ille in conſolandis aut iuuandis afflictis partẽ diei inſumebat; hic totos dies cauſis pauperum cognoſcendis, miſeris ſubleuandis, & commoditatibus proximorum conſecrabat. Ter vel quater in hebdomada Iuo pauperes ſtipe reficiebat, Hyacinthus ſingulis diebus manus apertas habebat, & totum illud quod vel a parentibus, vel a Patruo liberaliſſime collatum ſibi fuerat, hilari animo diſtribuebat. Vno atque altero die Sacer Antiſtes Diuina faciebat. Hyacintho nihil ſuauius, nihil optabilius erat, quã ſingulis diebus, ſingula ſacra vel ſumma animi attentione, audire: cum nõdum ſacris initiatus fuerat, vel cũ primũ in Sacerdotum ſortem adlectus eſſet, ſumma deuotione offerre, & vberrimis lachrymis tremenda altaria abluere. Admiratione & ſtupore dignum eſt, quod vltra quam ſuo exemplo impellebat eũ Pontifex, Diuinus proceſſit Hyacinthus. Ad faſtigium enim virtutum quo non pertigit Iuo, pertigerat Hyacinthus. At quia pietatem ſapientiæ ſplendore ornatam, maiori vſui innexam huic vinclo eſſe intelligebat Eccleſiæ, quam ſolam ipſam, cogitauit Hyacinthum iam pro ætatis eius captu ſufficienter doctrina excultum, rerum maximarum ſcientia cumulare. Bononiam igitur ſtudiorum altricem illi proponit, hanc vt accedat iubet, ſumptuſq; pro familiæ & ſtatus conditione in eam rem ſubminiſtrat. Paret ille, & abit, Doctiſſimos illos Theologos & Iuriſperitos conuenit. Breui decurſo ſpatio, tantos progreſſus in ſcientijs altiſſimis facit, vt abſtruſas omnes, ſiue Iuriſprudentiæ, ſiue Theologiæ difficultates animo perueſtigaret; Laurea Doctoris Theologiæ, & Iuris vtriuſque ornatus, in Bononienſi gymnaſio, apud omnes ſummus Philoſophus, ſummus legis interpres, ſummus Theologus haberetur. Cracouiam a Patruo reuocatus, dum illum maximis artium diſciplinis, ſupra modũ eruditum, & animi egregio cultu pulcherrimè ornatum, tum in Chriſti diſciplina multa cum laude verſatum, lectiſſima quæq; ex Italiæ cultura euexiſſe comperiſſet, in Canonicorum numerum Cathedralis ſuæ Eccleſiæ eundem adlegit, quo & participem curarum Paſtoralium illum faceret, & venerando illi collegio viuum exemplar totius integritatis præmonſtraret. Diſcerent ex illo, corde candido, animo verecundo, ore probo, manu immaculata, corpore intacto, & ſenſu pudico eſſe viderent ab eo, quomodo cultui Diuino vacarent, Eccleſiaſtici ſtatus decora ſeruarent, iura Sanctorũ tuerentur. Aſſueſcerẽt eius exẽplo cultu modicos, ſermone pauperibus faciles, opum contemptores non corraſores, diſpenſatores non diſſipatores, recti peruicaces, conſtantes aduerſum metus quoſuis fore. iuxta Canonum non aſſentatorum, non curiarum aulica præſcripta viuere.

Tantum

Tantum ad veræ ſanctitatis, & ad Cœleſtis vitæ perfectionem, ſumma cupiditate contendere, non animo per huius mundi pompas aut honores diuagari. Quod a Sole, in ſubiecto orbe lux, hoc a Hyacintho recti exempla, in alma illa Cōgregatione faciebant. pote qui inter eos, quod Sol inter ſtellas, eminebat & emicabat.

CAPVT QVINTVM.

Tyrocinium Sancti Hyacinthi in Religione Prædicatorum.

ATQVI æterna Dei conſtitutio, aliud decretum immobile, de ipſo ſanxerat & dixerat: quod tali nexu cauſarum latentium, & multo ante deſtinatarum, ordine exequitur. Pergit Romam ſuo Pontifex, Eccleſiæ ſuæ cauſa, ducit ſecum Hyacinthum itineris & votorum comitem. Offendunt vterque Diuum Dominicum, miraculis varijs, pijſſimum inſtitutum nuperæ Religionis, approbantem & illuſtrantem, mortuos inſuper, equo decuſſum ſcilicet adoleſcentem Neapoleonem Stephani Cardinalis nepotem, ad vitam ſuſcitantem. Inaudiunt in exorto ordine, doctrinæ & vitæ ſanctitate viros illuſtres, iam tunc clareſcere, quorum partium erat magnā Dæmoni ſtragem, Eccleſiæ vero vtilitatem permaximam afferre. Ab ipſo ſummo Pōtifice Honorio III. percipiunt, in Fratres Prædicatores prolatum elogium, Futuros, ſcilicet, illos Pugiles Fidei, & vera Mundi Lumina. Tum in amorem Sancti viri, & recens natæ religionis inardeſcūt. Beatos ſe putāt, ſi aliquē Dominici ſodalē in Poloniā abducere poſſent. Obſecrant Patrem non audiuntur. nec.n.tot erant Fratres, vt eorū precibus ſatisfaceret, præſertim qui idioma gentis calleret nō inueniebatur. A Dominici aſpectibus, neſcio qua luce perfuſus Hyacinthus, Spirituſq; Sancti feruore incalefactus, in medium exilit, togam Prædicatoriam, ab Imperatrice Orbis cœlitus demiſſam induere, diſciplinæq; Dominici ſe formandum ſubdere cupit. Valeant ait infulæ, abeant honores, mergantur diuitiæ in profundam abyſſum, ne ego ab eis. Mox ille ſecundo rerum humanarum curſu, ætate, ingenio, nobilitate, gratia, opibus, honoribusque florentiſsimus, Diuina quadam animi celſitudine, iſthæc omnia momento temporis proculcans, mundo nuncium remittit: delicias afflictione corporis, honorum ſplendorem obſcuritate vitæ, diuitias paupertate extrema, libertatem viuendi iugo obedientiæ, infulas quas ſperare poterat cucullo religioſo, Palatia clauſtro rigido commutat; Ceslao Fratre, Hermanno Theutone & Henrico Morauo Nobilibus, eodem Spiritu Sancto actis comitatus, ad pedes Dominici accedit, Prædicatorumq; conſortio adſcribitur, Romæ in Cœnobio S. Sabinæ, Anno ſalutis Natæ 1219. Pro more Religionis, dum Diuus

Pater Dominicus, ei exponeret asperitatem,& austeritatem Nouelli instituti, cui se dedebat, inquireretq; , an ijsdem legibus viuere, quibus illi, & an eodem rigore se conficere, vt & cæteri cuperet ? Iucunditate quadam inenarrabili perfusus, verba Patris præuertisse perhibetur. Labores mihi multos obijcis, suscipientur. Molestias multas, deuorabuntur. Austera disciplina mihi delicium erit. Impendet vndique magna tentationum moles, In Dei nomine, sustinendum & abstinendum. Vigilantem me oportebit esse, præsertim supra corporis lubricos motus, In perpetua custodia perstabo. Nec tantillum quidem deijciã oculos a flexu meo: cum his membris, cum hoc corpore quod gero, longam licet & difficilem subire contentionem non detrectabo. Pro decore sempiterno, summa quæque & acerba perferre curabo. Deus autẽ meus, meos quod spero iuuabit conatus. Ille mihi in rebus incertis cõsilium, ille auxilium in periculis, ille solatium in aduersitatibus dabit, ille pudicitiam meam hactenus illibatam, a Satanæ & carnis titillo, non inuicto tantum præsidio cinget, verum honestatis,& castitatis pulcherrimis muneribus luculentius exornabit; ille pro breuissimis laboribus, pro hoc marcido corporis mei flore, fertum gloriæ sempiternum, ex lilijs splendidissimis paradisi contextum, meo capiti imponet. Ferebatur tunc ingenti gaudio Iuo, quod Hyacinthum florem de mundi sylua in Paradisum præclaræ religionis transtulisset. Lætabatur S. Dominicus, quod sibi talem, & tantum virum, Deus in ornamentum nuperæ institutionis transmisisset. Exultabat summus Pontifex Honorius III. qui tũ præsens aderat, quod nouella Dominici plantatio, tali germine venusto floruisset. Vniuersi Cardinales, qui Hyacinthum ex virtutibus nouerant, suauitate perfusi Dominico & Hyacintho gratulabantur: Dominicum fœlicem dicebant, qui tam illustrem hominem in suam recepisset disciplinam, Religionem, quæ Hyacintho Canonico vere Canonico viro, suum auxisset honorem. Hyacinthum, quod Christi amore sanctissimo, vehementer & acriter inflammatus, sic ad studium sanctitatis exarsisset. Iuonem, qui talem nepotem sanguine, disciplina educasset, & Christi nuncijs consecrasset. Parentes, qui Filium eiusmodi mundo prodidissent, Christo & Ecclesiæ genuissent.

Adscriptus Religioni Hyacinthus, Tyronem se præbuit indiuisum a latere Diui Dominici. Quocunque se vertebat ille, sequebatur Hyacinthus, oculosq; defigebat mentis & corporis in illum, tanquàm in speculum exemplorum virtutis. Fœlix Doctore, sed & fœlix indole, cum non leuiter virtutibus Dominici imbuit animum, sed ita moribus & vita expressit, vt altorem suum referret quam simillimè. Nodo inexplicabili imprimis sese cum Deo conglutinare cõtendebat D. Dominicus, vtpote, a quo nexu omnia religionis bona proficiscuntur. In hoc etiam omnes animi neruos Hyacinthus intendebat, vt indissolubili vinculo

se

se Deo copularet. Quapropter vt & P. Dominicus, nihil eorum vnquã omisit, quæ ad hanc vnionem, siue efficiendam, siue confirmandam, siue ornandam, siue augendam, vel etiam conseruandam conducere visa sunt. Ea est primo puritas animi, quæ puritatis auctori connectit. Quare omni studio nisus est Hyacinthus fugere improbitatem, & purissimam vitam, ei similem, ad cuius se similitudinem contulerat, instituere. Hinc necem sensibus afferebat, domabat quandoque exilientem libidinis motum, eneruabat cupiditates, passiones supprimebat, contra omnium rerum mortalium illecebras, in perpetua quadam custodia peruigilabat. Hinc non in illo iracundia, non odium, non libido, non ambitio, non immanitas, non auaritia, non socordia, non aliquod scelus viuebat. Tam acerbo & immani odio ille prosequebatur flagitium, quoties vt in mentem irrepsisset, illam insigni sceleris contagione maculari æstimaret. Hinc statum animi tutum & incolumem, ab omni perturbatione & lubricitate seruabat. Si quid vero vel leuiusculè admisisset, vel omisisset, statim sacra exomologesi, & lachrymis eluebat & expiabat. Multo ille diligentius animum ab omni labe tuebatur, quã qui pretiosis ornatus vestibus, via lutulenta incedens, indumenta ab inspersione cœni immaculata conseruat. Nemo illo extitit in præclara D. Dominici disciplina qui esset in expurganda anima diligentior, & in cerimonijs atque minimis rebus religionis obseruandis vigilantior, & vita incontaminata continentior. Quapropter & puritatẽ mentis & corporis fere Angelicam assecutus fuisse ab omnibus dicebatur. Quamobrem ab eodem candore, tanta reliquarum virtutum incrementa suscepit, vt in eo potuisset vitæ Cœlestis splendor facilè animaduerti. Omnes illum puritatis vasculum, religionis & probitatis speculum, & exẽplar suscipiebant, & quod de alio quodam ferebant, Nunquam mortalis criminis sensit contagium.

CAPVT SEXTVM.

Progressus virtutum S. Hyacinthi à voto emisso.



SCOPVLVM virtutum esse arrogantiam, didicerat Hyacinthus, a Magistro humilitatis Diuo Dominico. Quam ob rẽ ab ea sibi primũ cauere, eãdemq; fugere decreuit. Fundamentum earundem esse modestiam in sensu, seu humilitatem nouerat. igitur ab ea sibi non discedendum putauit, quippe quod propter illã Deus ab homine recedit, propter hanc accedit. Humilia respicit, & alta a longe cognoscit, & habet. Huius gradum primum inscendit Hyacinthus. De se nil sentire. Demirabãtur & attollebant illum homines, ob virtutis fastigium. Alterum dementassent

fear laudationibus & titulis, Hyacinthum minimè : Ita ille ad se. Quid habes, quod non a supremo Bono tulisti ? Si tulisti, cur alieno, sibi mutuato dono vanus & tumidus incedis ? Ille dedit ornamenta, & nisi refers ad eum, aufert, Deinde. Qui introrsum & apud te sis, cogita. Lubricus, labilis, & minimum constans. Consistis in gratia ? Potes deijci. Non peccas ? Potes aberrare. Qui stat, ne cadat, attendat. Quod altum, hoc opportunum ad casum. Luciferum cogita, Adamum inspice, Apostolum & Apostolos meditare. Ad tuendam gratiam Diuinam, alia gratia opus est. Ad alterum gradū humilitatis se demisit Hyacinthus. Vilis & abiectus audire. Adblādiebant & laudabant homines. Peccatorem ille se, & in domo Dei contemptissimum verbo, re demonstrabat. Tertium proxime se abiecit gradum Hyacinthus. Vilibus obsequijs, & personis mancipari. Quæ in Cœnobio viliora officia, obibat. qui deiectiores ibidem, maiori seruitute illos sibi deuinciebat. Quo sanctior, eo vilius se deijciebat.

Sapientia quoque illa est, quæ mortales sapientissimo Deo adglutinat. Sapientiæ munus est Deum semper intueri, & illius speciem atque pulchritudinem admirari. Hinc amare, inde imitari. Libenter eorum mores effingimus, quos diligimus. Imitatio autem similitudinem Diuinæ mentis in hominis mente inducit. Similitudo vero amorem gignit, amor amantes nexu potenti innectit. Fortis vt mors dilectio. Vt mors animam a corpore, ita animum ab anima & a rebus caducis dilectio Dei auellit, vt a terris abstractam Diuinis amplexibus adiungat. His duobus aureis funiculis Sapidæ scilicet charitatis, Christo se obligabat Hyacinthus. Sapientiæ quidem, dum vmbris rerum terrenarum discussis, Orbes cœlorum mente transcendebat, & ad maiestatis thronum procedens speculum illud admirabile Deum opt. lumine inaccesso splendentem, in extasi positus mirabatur. Præter tria illa fulgentissima lumina, in vno lumine corruscantia, etiam in salutis nostræ Oeconomiā oculos conijciebat, & magnitudine mysterij obrutus, sensibus oppressis obstupescebat super indicibili consilio Dei de salute humana. Mox in intimos secessus cordis Christi Saluatoris nostri penetrabat, inque illis preciosis quinque vulneribus amorem immensum, patientiam a sæculis inauditam, inuictum animum, profundam humilitatem, puritatem immaculatam, contemplabatur. Ibidem considerabat quomodo inæstimabili cruore Filij Dei, mundi maculæ elutæ, animi a tyranni de liberati, mortales ad libertatem euecti; quomodo legis vmbræ euanuerunt, peccati vires fractæ, Regnum mortis excisum, monstra feritatis excisa, iustitiæ cœlestis ratio constituta, thesauri ex corde Iesu profusi, aditus in Cœlum patefactus. Et dū has species suæ Theologiæ voluebat, reflexo mentis radio in se quoque oculos conijciebat, & in se Diuina etiam hæc munera collata e latere Iesu Christi esse conspiciens, a

quo

quo amore tunc rapiebatur? quoue ardore incensus exæstuabat? Ad se ab extasi reuersus, quæ Propassio illi fere quotidiana fuerat, prouoluebat se ad pedes imaginis Christi in Cruce suffixi, & lachrymis irrorās pijssimis vulnera illius, grates immensas Saluatori Deo ferebat, quod ille quoque a vinculis horrendæ mortis, & a teterrimi Dæmonis faucibus propter mortem & crucem eius erutus esset, quod ille quoque vitā, lucem, salutem, honestatis sempiternæ decus, baptismi signaculum, innocentiam olim ereptam, puritatem mentis, gratiæ Diuinæ splendorē, virtutum eximiam pulchritudinem, thesauros inæstimabiles e latere eiusdem Iesu Christi crucifixi recepisset, & inde reciduo animi languore, in immensa illa abysso vulnerum Christi sese denuo immergebat, glutino perpeti nexum Saluatoris concupiscens. Ex eo charitatis fonte procedit, vt ea inflammatus homo, illud etiam dicat. Ego dilecto meo, & ad me conuersio illius, vt scilicet homo nihil aliud animo voluat, quam vt Deus ex conuersione superadmiranda Panis & vini, in verum Corpus sanguinemq; ipsius transubstantiatus, animæ præsto sit. Nimirum quia Diuinum cum hominibus consortium, si quid aliud, efficit magis certe frequentissimus Sacramenti Eucharistiæ vsus. Qui enim manducat carnem meam, aiebat Saluator, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Quocirca Hyacintho nihil magis consuetum fuit, quam Cœlestia frequentare mysteria. Quocunque ille iret, singulis diebus ipse sacrificare solebat. Pietate animi, Diuini numinis reuerentia, lachrymis ex dolore cruciatus & mortis Christi, imo & singultibus tantis, vt non possit exprimi. Deplorabat ibi, non sua tantum, sed & orbis vniuersi peccata; ibi pro incolumitate multorum, pro Ecclesiæ conseruatione, pro Fidei augmento, principum concordia, inimicorum Crucis Christi extirpatione, pro conuersione infidelium, pro suæ religionis fœlicissimo incremento, votis ardentissimis expostulabat. Ibi pretiosam illam olim cruentam Dei in cruce pendentis hostiam, Deo in aspectum ponebat. Quo tandem optatis potiretur, vincula, sputamina, alapas, flagella, spineam coronam, arundines, Crucem abiectam, clauos acutos, dicam lanceam, felleum poculum, opprobria, conuicia, blasphemias, dolores, vibices, vulnera, acerbissimam deinde mortem Saluatoris, Diuinis aspectibus præsentabat, & quasi pro iure suo contēdebat, si Deus Pater filium suum sibi coæqualem, tot & tanta perpessum agnosceret, si illum amore prosequeretur; si olim eum in mortem pro peccatoribus tradidisset, ne tantos illum labores, tantamque ignominiam frustra subijsse, neue tantum sanguinis eum profudisse, aut mortem in vanum pertulisse pateretur. Sæpe dum verendis altaribus adsisteret Sacra faciens, in spiritu rapiebatur, fiebatq; extra se præ dulcedine suauitatis, quam ex Sanctissimo salutis edulio persentiebat. Diceret vt etiam suo iure. Viuo ego, iam non ego, viuit in me Christus. Sum

ego,

ego, non ego, est in me Saluator meus Christus. Tales igitur progressus fecit virtutis Hyacinthus, vt in Tyrocinio Dominicum, a voto autẽ emisso Christum ipsum retulerit; prodigio propter id fuit vniuersis in vrbe S. Patriarchæ, Cardinalibus, & summo Antistiti.

CAPVT SEPTIMVM.

Repedat Sanctus Hyacinthus in Poloniam, a S. Patre Dominico dimissus ex Vrbe.



PERFVNCTVM se satis suo munere iam arbitrabatur Diuus Patriarcha Dominicus in Hyacintho erudiendo. Votis igitur illius in solemni Professione auditis, hortatur, se vt itineri accingat, in Patriam reuersurus, Pietatisq; & Religionis a se haustæ semina sparsurus. A suaui conuersatione paterna, non difficulter se auelli passus est, memor, quia Diuinum numen, non ad contemplationis tantum, sed & ad actionis præclara munera obeunda illum vocasset. Quam ob rem magno animi robore concepto, paret, in propitio Dei nomine confidens, parat mentem monitis, pedes itineri. Hinc summi Pontificis Honorij III. & Sancti Patris Dominici Benedictione & mandatis acceptis, Roma discessit, Ceslao, Hermanno & Henrico indiuiduis Comitibus sibi adiunctis. Æstuabat ille adeo flagranti desiderio, sollitudineq; quantocius officij iniuncti exequendi; vt nullum quietis aut consolationis genus admittere vnquam posset, nisi se videret, extorquentem homines, e faucibus insanientis mundi & inferni, adq; Sanctitatis culmen, ipsumq; Cœlorum regiam, magno labore euehentem. Futurus igitur in gentem multam, & magnã, peragrata ea Italię parte, quæ patet Roma in Germanos iter habenti, visitatisq; Bononiensibus, apud quos lauream Doctoris Theologiæ, & I. V. obtinuerat, Germaniam paucis interpositis diebus ingressus est. Qua transibat, nulla Ecclesia vel locus sacro aliquo symbolo insignitus erat, quem genuflexo non veneraretur, in eoq; orationes deuotas non iacularetur. Sacra quotidie, vbi se cõmoditas Ecclesiæ proferebat, pro salubritate quorum hospitio vsus est, & quorum fines terebat, offerrebat. Verbum Dei, auidam aurem porrigentibus populis illis; ingenti cum fructu enunciabat, subsequentibusq; miraculis pro beneficio credentium confirmabat. Iam Oppido Frisacensi, apud Carinthios celebri, propinquabat. Fama factorum Hyacinthi oppidani excitati, omnes confertim, indistinctis agminibus obuiam ei prodeunt, & aspectu illius omni norma sanctitatis exornato, mirum in modum oblectati, aduentum gratulantur, & ad proprios lares vnus præ alio inuitant. Hæsit illic eo vesperi Hyacinthus, & summo mane, licet itineris

ris molestia atq; laboribus defatigatus esset, ab iniuncto tamen munere sese continere non potuit. Suggestum in media ciuitate (Ecclesia nō capiebat homines concurrentes) collocatum cōscendit. & illic prunas ardentes verbi Dei spargere exorsus, tantum frigida illa corda inflāmauit, vt viderentur repente studio pietatis incensi Frisacenses, de terrenis cęlestes euadisse. Omnes prorsus peccatorum suorum sordes coram illo expurgare contendebant: alij à contagijs mundi huius sese explicare, sæcularibusq; resignare curis, diuitias à se reijcere, voluptates præcidere, & cælestem inire viuendi rationem nitebantur. Plurimi eorum Hyacintho amplissimas facultates, siue in pauperum distributionem, siue in Ecclesię & cœnobij nouam structuram proferebant: nonnulli sanguine etiam Illustrissimo nati, spretis omnibus mundi illecebris, oblectationibusq; carnis abdicatis, terras linquentes se illius consortio adiungebant, atque ab eius disciplina, ad supremam Christi philosophiam, & hinc ad cœlitum conuersationem, totis animis prouehi exoptabant.

Erat necessum, vt Hyacinthus semestri spatio temporis apud eos commoraretur. Fælices illius fuerunt labores. Nam eo tempore Ecclesiam siue magnitudine, siue ornatu ædificij insignem, conuentumq; amplissimum, in quo innumeri Fratres qui suasu illius se religioni addixerant, cęlesti dogmate instruebantur, ex piorum eleemosynis erexit. Inter hos accepit discipulos, Beatum Hutricum extaticum, in orationibus, Beatum Helgherum Comitem, Illustrissima familia ortum, non multò post Priorem eiusdem Conuentus, & Beatum Conradum Frisacensem, multis miraculis clarum, qui & tres mortuos, dum viueret, ope Diuina inuocata, vitæ reddidit.

Postquam igitur Frisacenses ad meliorem frugem reduxisset, prouinciæq; Theutonicæ initia iecisset, non illius tantum loci angustis męnijs, suos circunscribi labores iudicans, Cracouiam properare instituerat. Illic Frisacenses, vehementiori iam vinculo eidem deuincti obsecrabant, ne illos deserere velit. At ille vniuersis gentibus quæ orientem Solem, & septem gelidos Triones versus incolūnt, se institutum Apostolum ratus, litterisq; Iuonis patrui indies transmissis euocatus, se diutius apud eos detineri non posse obtestabatur.

Ne tamen instructam illam religiosorum cohortem, sine præsidio destitueret, pro parte sua reliquit eisdem Sæium & condiscipulum suum Beatum Hermannum Theutonem, illum qui & à vulnere Saluatoris nostri, & ab vbere intemeratæ Matris ipsius, frequenter delicïabatur.

Ipse Cœlaï & Henrici, septus comitatu per Styriam, Austriam, Morauiam, & Silesiam repedans Viennæ, Olomucij, Opauiæ, Ratiborię, doctrinæ & sanctitatis ingentia specimina dabat. Ciuitatibus illis, & alijs in itinere obuijs populis; publicè & priuatim magno cum emolumento cunctorum, insigniq; ad Deum conuersione verbum Dei disseminabat.

Fructus itinerarij laboris Hyacinthi, indicium est illustris Conuẽtus Viennæ Austriæ, quem Proceres oræ illius, in amorem Religionis prædicatione Hyacinthi recens incensi, pietatis suæ testimonium prostare voluerunt. Indicium & Conuentus olim amplissimus Olomuceñ. quẽ Vencesłaus Rex Bohemorum; & Otocarus eius Filius, deinde Præsul & ciues tunc Religiosissimi, illi Regalis munificentiæ, Pastoralis vigilantię, hi autem cultus sui in Deũ, à Hyacintho admoniti, perpetuitati consecrarunt. Indicium & Ratboriensis Sancti Iacobi Conuentus, qui vt sua quoque ætate, à pietissimis illis Principibus Vladislao, & Miescone ædificaretur, memoria factorum suorum, memoriæ illorum tunc cum eis agebat impressa, plurimum effecit. Indicio sunt & alia Silesiæ amplissima dudum monasteria, ob prædicationes Hyacinthi feruentissimas, famamq; sanctimoniæ cito rerum internuncio diffusam, à beneficentia Ducum, & aliorum Christifidelium excitata, dicata & dotata Religioni nuperæ Prædicatorum.

CAPVT OCTAVVM.

Cracouiam ingreditur Sanctus Hyacinthus, Religionis prædicatoriæ in Septentrione amplificandæ gratia.



NON tam solet esse grata Cynosurá naufragio iactatis, quã Hyacinthi præsentia Cracouiensium ciuitati, nec tã anhelans ceruus laticem aquæ fluentis, quam Hyacinthus suorum Sarmatarum salutem expetijt. In magno isto ardore animi perseuerans, vidébatur sibi iam incutere terrorem dæmoni, iam infestas acies Principis mundi tenebrarum harum in suos confertas dirimere, rabiem & impetum bestiæ illius immanis iam restringere, inuictoq; atq; animoso certamine, non modo teterrimum hostem, sęd & loca, & tempora, iamiam violentus vrgere. Cracouiam igitur aduenienti, suo patruus Episcopus Cracouiensis, cleri & populi multitudine ingenijs effusa circundatus obuiam processit, consalutauit, honorifico ritu excepit, & longo ordine exporrecto clero præeunte, exoptatæ ciuitati reddidit. Nemo potest sermone consequi, reconditos sensus iubilationum, quas Hyacinthus ex oblata sibi occasione, iamdiu cupita de Ecclesia benemerendi percipiebat, neq; ardores explicare flagrantium amorũ, aut gaudia non humanitus degustata, sed inclusa diuinitus in Cracouiensium pectoribus, ex conspectibus Hyacinthi. Ibi exultabat Hyacinthus, quod in locum destinatum venisset, vbi cõstitutam Prouinciam non impiger aggrederetur, popularesq; suos, assiduis concionibus, & cõspicua morũ integritate, ab impia flagitiorum tyrannide vindicaret. Cracouienses autem summo studio suffundebantur, quod viri consuetudine

dine essent fruituri, cuius egregiam sanctitatem, olim sibi ab eius admiranda indole cognitam, nouis accessionibus ex contubernio Apostolici viri auctam, ob oculos iam positam intuebantur. Quamobrem iussu Episcopi Iuonis patrui, tantisper dum clerus ab Ecclesia Parochiali Sanctissimæ Trinitatis, ad augustam illam Diuę Deiparæ transferretur, in ædicula lignea, ad humile oratorium vnà cum socijs in aula ipsius diuertens, expectationi omnium de se conceptæ, facere enisus est. Et quia Prædicatorum Religionis se esse alumnum, à magno Prædicatore Dominico, dicendi artibus instructum profitebatur, ab eo officio cumprimis præclaro, tum Ecclesiæ Dei præ aliis vtiliori orsus est. In æde igitur maiore, quā cathedralem vocant, concionatoris munere sibi iniūcto, pietatem cæpit accendere pietate, torpidos expergefacere, demoliri toto cardine vitia, atque corruptelas, adamantinam pectorem duritiem emollire, corporū & animorum castimoniam, iustitiæ cultum, abnegationem suiipsius, cæteraq; omnia Christianæ fidei ornamenta, quæ fraude sua perniciosa, nequissimus animarum hostis extinxerat aut obscurarat, non interruptis concionibus feruentissimo spiritu disseminare incępit. Adhærebant lateri dicentis, numerosissimi conuentus ciuium, nobilium & plebeiorum, mellitis eius declamationibus recreati, quę non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, ita manabant ab ore ipsius, vt cuiuscunq; cor lapideum licet, vel frontem licet ferreā trāsuerberassent, abdita quadam energia liquefacerent, atq; ad Diuinas suscipiendas formas virtutis mollefacerent & disponerent. Erat enim ignitum eloquium eius vehementer, quo dum concionaretur, gratiam, & feruorem in auscultantes talem & tantam diffundebat, vt viri fœminæq; sæpius & conditionis obliti, in alteros dixerim pone Angelos terrestres mutarentur: & quod ab igne ferrum, in alienam quasi formam, hoc illi à Hyacinthi feruore, in Diuinæ participium naturæ transibant. Boleslaum Pudicum cum vxore Kunegundæ, Principes Poloniæ, in ipso ætatis æstu in eam impulit mentem, vt voto concepto castimoniæ illibatæ, toto illo tempore, quo simul vixerunt, præter amorem virgineum & honorem intemeratum, sibi deuinciebantur mutuo, ne impudicis quidē oculis se contuerentur, non modo officium matrimonij ab inuicem non exigerent. Eam ob laudem virginitatis, Boleslaus Pudici cognomen assecutus est. Nec eos modo, sed & plures alios, qui mundo nuncium remittentes, in eius se consortium ascribi flagitabant; ad sanctimoniæ perfectioris fastigia euexit, vsquedum in illa lignea ędicula diuersaretur. Eius primitiæ censentur esse, F. Hieronymus B. Cellao Pragam eunti adiūctus cum Henrico Morauo socius, & primus ab eodem Prioris officio in conuentu Pragensi defungēs. Frater quoq; Benedictus, F. Florianus, & F. Godinus, quos peregrinationis suæ voluit esse comites. Plurimi quoq; alij verbo & exemplo Hyacinthi pellecti, Religioni nouellæ nomina dabāt,

in illo licet pauperrimo tugurio, ita vt Hyacinthus non exiguo Fratrum numero Deo & Ordini acquisito, Ecclesiam SS. Trinitatis sibi ab Iuone Episcopo, & vniuerso clero collaudante Lesco Principe, Religioniq; dicatam, primo solenniter ingrederetur. Anno salutis 1223. ipso die Annunciationis sacro. Quo ingressus spectaculo, tantum in animis hominũ excitauit Religionis studium, vt omnes simul se fęlices faterentur, qui eiuscemodi instituti viros quandoq; contueri mererentur, alij vero mora omni abiecta, ad pedes Hyacinthi aduolarent, eiusdem Religionis albo se indigetari flagitantes. Nec modo populares, sed & exteri quoque. Aderat huic festiuitati Gregorius Crescentius S.R. Ecclesiæ Cardinalis, Legatus à Latere Sedis Apostolicæ. Inter eius aulæ primarios viros fuit Iacobus quidam ciuis Romanus Legum interpres & Doctor, Cardinali à secretis Consiliis. Is amore Religionis correptus, & Hyacinthi, aliorumq; Fratrum deuota pietate, moræ impatiens, è medio suorum exilii, à Hyacintho nunc nunc habitum prædicatorum precibus extorquens. Miratur & auet Legatus Cardinalis, tantam viri mutationem. Stupet Princeps & Iuo, Diuinam subitam motionem. Illachrymantur tandem omnes ad piam contentionem, dum Hyacinthus differret, iste autem vrgeret, & pia importunitate vi quadam è manibus Hyacinthi erepta prædicatoria toga, vinceret; fieretq;, vt Polonia daret Romæ Hyacinthum, Roma Poloniæ Iacobum, dignum cui cura Patronæ paucis post annis, grauissimaq; negocia Paganorum & Scismaticorum, ac perinde Ecclesiæ, à Gregorio IX. Pontifice Maximo, delegarētur, de quib. alio in loco. *Cap. 2. in Propag.*

CAPVT NONVM.

Ratio viuendi Sancti Hyacinthi in Polonia.



AD illud autem Diuinum prescriptum, normam viuendi per totam vitam dirigebat, quod est apud Vatem: In die mandauit Dominus misericordiam suam, & nocte canticũ eius: videlicet, noctem Deo, diem Ecclesię: illam contemplationi, hanc actioni: hanc proximorum, illam suæ saluti impendere curabat. Noctes fere omnes, siue domi, siue foris, integras Deo dicabat: pro cubiculo Ecclesia, vel oratorio, & vbi illud in itinere deerat, cubiculo pro Ecclesia, & lapide supposito capiti, pro mollissimo ceruicali vtebatur. In oratione pernox. Tanto siquidem eius desiderio flagrabat, vt naturam suam & necessitatem ipsam obliuisci videretur: præter diurnum nocturnumq; officium, & præter omnes precationes, à cõmuni consortio Fratrum adiectas, nunc poplite flexo, nunc prostrato in terram ad modum Crucis corpore, nunc pansis ad cęlum manibus, modo imagine aliqua pia, vel Saluatoris in Cruce defixi, vel Deiparæ puerulum lactētis

correpta

correpta & puro affectu exosculata, nec semel lachrymis perfusa, modo etiam mente ad sublimia per raptum absorpta, colloquio Diuino se immiscebat. Si quando vero naturæ necessitas, lassum & pene emortuum somno languentia membra reficere cogebat, nō molles plumas, aut stratos lectos exquirebat: sed cum Iacobo Patriarcha peregrinū se censens, super nudam humum paululum declinabat, vel stans innixus altari, aut reclinis ad parietem modicum quid somni delibabat. Corpore aliquantulum soporascente, mente vigilabat: & in somnis quoq; conspiciebat Deum altissimum supremo gradui innixum: à quo, cum sponsa, nunc læuam sibi supponi manum præcabatur, nunc etiam dextera amplexus optabat: dulcissimasq; carpebat delicias, in leuissimo illo somno, ex vnione ineffabili cū Deo promanantes. Porro corpori euigilando domandoq;, præter ieiunandi consuetudinē, ex qua singulis diebus detrahebat quantum poterat de cibo, & ex qua singulas ferias, quibus Dominicæ passionis memoria colitur, & Sanctissimæ Virginis, Apostolorumq; vigilias, pane & aqua tantum vitam vix ægre tolerabat: cilicium asperrimum ad mortem vsq; delatum adhibebat: cathena ferrea vt plurimum, vel tunc nodis quibusdam inflexo, ad sanguinis vsq; profusionem, verberibus, singulis noctibus trina vice se pene enecabat. O quoties ille non tantum lachrymis, sed sanguine proprio abunde profuso locū orationis & quietis suo in Ecclesia irrigabat: ita ille motus carnis reprimebat; sic pro peccatoribus, pro animabus purgatorij ignis cruciatibus addictis, pro Ecclesiæ incremento, pro dilatatione Ordinis, pro idololatrarū conuersione Deū fatigabat. Et hac maceratione corporis per inediam, insomnia, & disciplinarum atrocitatem, simulachrum potius hominis dicebatur quam homo. Sic erat macilento vultu, & exeso corpore, Luridam eius imaginē, ad viuū expressam ex antiquiori prothocolo, Gregorio XIIII. Pont. Max. munusculi loco obtulerat Orator Serenissimi Regis Poloniæ Stanislaus Minscius, vir perenni laude dignus. Eam vt ille aspexit, ex lineamentis externe effigiatis internas animi olim vigentis in corpore coloribus præsentato, depræhendens, caput, ad ideæ aspectum aperuisse, mox genua flexisse, supplexq; Sanctum adorasse fertur: hoc expresso elogio. Vere Sancti hominis facies est. Orationi & contemplationi eidem, comites esse volebat, alias virtutes, nempe castimoniā corporis & mentis, quam vtranq; inlibatam advsq; mortem seruauit: paupertatem spiritus & corporis: lectulum enim proprium non possidebat: fortitudinē in rebus arduis, patientiam in aduersis, moderationē in secundis, discretionem spirituum, humilitatē demissam, cæteraq; animi ornamenta, quę in Diuo Patriarcha Dominico impressa viderat. Actionem autem diei, nihil contēplatio nocturna impediebat. Quod enim de animalibus Sanctis dicitur: Ibant & reuertebantur, in similitudinē fulguris coruscantis; hoc de Hyacintho verum erat. Ad intima ille contemplationis reuertebatur

batur repente sicut fulgur, postquã die toto summa animi alacritate prodijsset foras ad proximos. Quos concionibus ardentissimis, admonitionibusq; priuatis, ad virtutem impellebat.

Hinc assiduis in sacrificijs singulis diebus offerẽdis, frequens in administratione Sacramenti Pęnitentiæ, acer in reprehendendis vitijs, totus in concionibus, & in salute hominũ omnibus modis curanda fuerat. Accurrebant ad illum peccatorum pondere obruti? subleuabat. Desperabundi? solabatur. Præsumẽtes? reprimebat. Timidi? illachrymbatur. Torpentes? excitabat. Adducebantur, cæci, claudi, diuexati à dęmoniis? pellebat, erigebat, illuminabat, febricitantes, paralytici, vel desperatis laborantes morbis, ferebantur? curabat, grabbathum tollere iubebat, sanitati pristinæ restituebat. Si parietes Ecclesiæ Cracouiensis, imo & vniuersa Polonia dicere posset: innumeros in theatrum laudis Hyacinthi produceret, à Hyacintho benefico, misericordiam consecutos. Innumeri fuerunt, per id temporis, à quorum corporibus morbos & dæmones depulerat Hyacinthus intercessione sua. Totos dies consecrarat misericordiæ proximorum, vt noctes orationi & contemplationi Diuinæ. Pręcipuo autem cultu Beatissimam Virginem Deiparam Mariam venerabatur, inq; opificio miraculorũ ipsam sibi esse præsentem deposcebat: quã scilicet sciebat miraculorum esse officinam, cui natura ipsa cedere compellitur. Cum hac tanta ei familiaritas inerat, vt frequentissime in oratione illi appareret. Tanta vero fiducia in eius beneficia nullum vt beneficium per eius suffragia peteret, quod non illico obtineret: nulla res ardua, sit etiam morbis in aliquem latum imperium, quam ille ope Diuina, per Diuam Virginem impetrata non tentaret, non patraret. Ex his, quæ sequuntur paucis miraculis coniice.

CAPVT DECIMVM.

Sanctus Hyacinthus suscitat mortuos.



OYSI Prophetæ, noua legatione à Dei latere, apud Ægyptios & suos populares fungenti, Deus addidit thesseram, qua certo Dei Nuncius esse ab omnibus suspiceretur & haberetur. Ea erat, miraculorum opificium. Hanc & suis Apostolis & Apostolicis viris, Christus pollicitus est. Signa, inquiens, eos qui crediderint, hæc sequentur. Linguis loquentur nouis, serpentes tollent, dæmones eijcient, si quid mortiferum biberint, non eis nocebit. Et, Qui me credit, hæc quæ ego operor miranda facinora, imo & maiora horum faciet. Non defuit eadem virtus Hyacintho, quin & cumulatiore mensura, super plerosq; illi collata fuit. Quam in mortem quoq; ipsam, exercuit aliquoties dum viueret; & inprimis quidẽ, in Petri

tri Prossouiensis cadauere extincto. Ex ea quam constantissime tenuit viuendi ratione, fama illius sanctitatis, apud omnes circumuicinos esse in ore frequens cępit. Hinc beatos se putabant, quicunq; illum vel concionantē audire, vel auri ipsius archana cordis sui dare, vel pietatis aliquod exemplū videre ab eo possent. Per id tempus quo Cracouiæ hæserat, excurrebat ad proximiores oppidanos & nobiles Paganos, omnibus, pręsertim vero rudioribus & simplicioribus, se Doctorem impendere cupiēs. In reditu à quodam Pago Cracouiam, propter instantem proxime solennitatem S. Stanislai martyris, in littore Vandali, offendit innumerā multitudinem populi, ad spectaculum obuersam, & funus parātem, extincto aquis iuueni Petro Prossouień. Prodit è medio illorum Falislaua, mater adolescentis, nobilis, & vlulatibus omnia cōplens fęmineis, prouoluitur ad pedes Hyacinthi. Orat supplex & gemens, velit afflictæ succurrere, & vnicum filium suū, baculum senectæ suæ, & vnicum leuamen curarū, pie antecedente aquis obrutum, in littore mortuum iacentē, precibus Deo porrectis, in vitam reuocare. Qua erat exæstuans charitate Hyacinthus, miseratus est miseræ matris. Mox fide in Deum viuida elata, in oratione se prostrauit, lachrymas seorsum abunde profudit, obsecrans vitæ & necis auctorem, dignetur in exanime cadauer animam redire, vitamq;, sensum, & spiritus officia vsui esse. Deinde spe maxima concepta, ad turgidum corpus accedit, & manu illius exangui apprehensā, ita mortuū compellat, Petre, Dominus noster Iesus Christus, cuius ego veram gloriā depredico, qui Lazarum iam in sepulchro male olentem excitauit, atque à sepulchralibus fascijs, prodire in libertatē iussit viuorum, per intercessionem Beatæ Virginis Matris suæ, te in pristinam vitam restituat, in cuius nomine, ego indignus & humilis, tibi præcipio: Surge & ambula. Adfuit illico ad inuocationem sacrati nominis, & ad mandata Hyacinthi, anima, in Petri cadauer iterū regressa. Viuens ille, à terra se in pedes erexit. Deo, & Sacrosanctæ Deiparæ, Sanctoq; Hyacintho summas grates habuit, cunctis stupentibus, & Deum in Hyacintho depredicantibus.

Altera quoq; vice, eandem potestatē in mortē quoq; vsurpauit S. Hyacinthus, in Vislao adolescente, itidem aquarum vorticibus demerso.

Pribislauia Nobilis, sanctitate, doctrina & virtute Hyacinthi iā olim cognita, desiderauit, vt pro festo S. Iacobi Apostoli, Titularis Ecclesiæ Villæ Sermiki, cui illa præerat, præsens illic adesset, verba ad populū facturus, & sacra confessione noxas multorum expiaturus. Filiū ergo vnicum Vislaum, adiuncto ei comite armigero, Cracouiā destinat, qui Hyacinthum ad solennitatem inuitaret: Pergunt ambo: adq; fluuium ex altissimis montibus profluentem, Raba incolis dictum, tunc aquis excrescentem è pluuioso cęlo, accedunt. Vado transire se putant, periculumq; faciunt. Dum in medio amne sunt, equus Vislai à pernici aquarum impetu nutare, mox & mergi cępit, & Vislaum incautum tergo deijcit. Labitur il-

lę in

le in aquas & obruitur. Famulo nequicquam opem ferente, sed vt poterat in litus euadente. Triste nunciū fert Pribislauia, quæ in lamenta proruens, ad Sanctum Hyacinthum vocandum, alios vadorum & nandi peritos mittit: mittit & in fluctibus quæsitum filiolū piscatores aliquot, qui harpace scrutentur, & in altum trahant exanime cadauer. Adest Hyacinthus, & cum nusquā ex aquis corpus appareret, nec inueniretur, in occursu dolentis matris, ac totius populi, Diuino implorato Numine, fiducia ingenti, imperat flumini, corpus absorptum vt illico redderet. Mirandū, & quod humanam fidem excedere videtur. Ad nutum illius, mox è profundo vortice, innatat mole sua graue cadauer, atq; ad ripam, nemine impellente aut trahente accedit. Ibi Hyacinthus vir Dei, in genua prostratus, ad aliud miraculum patrandum fide fultus se accingit. Turgenti aquis cadaueri, ex flumine extracto imperat. Fili Visłae, Dominus Iesus Christus, cui omnia viuunt, ipse te viuificet: & ego quoq; præcipio tibi: Viue, surge & ambula. Ad quæ verba prolata, statim, qui erat mortuus, vitali spiritu resumpto, ad oscula pedū Hyacinthi surrexit, & ambulauit. Magnum erat Helisæo Vati, securis ferrum in Iordane mersum, ad manubrium, quasi vi magnetis occulta, Diuino posse trahere. Ingens facinus ausus est, & S. Dominicus, qui aquis obrutos quosdam, è vasto gurgite aquarum in lucem prodire iussit. Et illud quoq; excellit, quod nutu Diuino, Ionas tridui spatio, in ventre cęti detrusus, à binæ mortis faucibus, ad Niniuæum litus, sanus est eiectus. Sed & hoc non minoris fuit argumentum fidei, quod Hyacinthus in Visłao patrauit. doctus assequi paternam fidem, doctus & miserari miseris.

CAPVT VNDECIMVM.

Sanctus Hyacinthus cæcos illuminat, & dæmones pellit.



DIVINITATIS etiam Christi Dei, illud non postremū fuit documentum, quod cæcum à natiuitate illuminarit. Sanctitatis igitur non vulgaris Diui Hyacinthi eximium fuerit testimonium, hac in re excelluisse. Die quadam Sancto Stanislao Episcopo & Martyri Cracouiensi Sacra, ad ædem Maiorem ciuitatis in arce sitam, properabat Hyacinthus, in laudē Martyris inclyti pro concione dicturus. Ad montis ex quo arx insignis prominet, radicem, præstolata illum Vitoslaua Nobilis Matrona, it ei obuiā: misera, ducens secum gemellos iam septē annos natos, sed, vtroq; lumine cæcos: Miserere, ait, dolentis, tu qui misericordiæ viscera gestas. Præstabat illos vteri tenebris conclusos, quam partu effuso ad lucem, cęcos fuisse. Grande fateor opus scio, dare visum cæco: at qui vitam mortuis tulisti, feres & istis tenebricosis optatum lumen. Fide solida te esse noui,

ui, quam mundo innumeris facinoribus prodidisti. Modo ne despexeris ancillam plorantem, & mortuos istos iu viuo corpore, non sine præcordiorum cruciatibus, in horas respicientem. Quid enim viuos dixerim cęcos: qui quod præcipuũ est vitæ sensilis munus, non obeunt? Hyacinthus quid faceret tunc non multum cogitabat. Ex quo affulsit illi species eius cæci, quẽ Christus facto luto ex sputo illuminarat, lotura piscinæ Siloe: sibi quoq; id non fore factu impossibile ratus, orationem ex imo pectore fundit. Deus de Deo, lux vera de vero lumine, qui in hunc mndũ luminis tui diffundendi gratia aduenisti, quiq; non animarum solum nostrarum, sed & corporis quorundam tenebras discussisti, adesse propitius dignare his pusionibus cæcis. Ab oratione postmodũ consurgens, præsidio fidei fultus, Crucis signum, vtriusq; oculis imprimit: In nomine, ait, Iesu Christi, qui est lux cæcorum, vos ambos iubeo videre. Illuminamini, aspicite, & diuinam in vos gratiam agnoscentes glorificate. Illustrantur, clare aspiciunt, inq; laudes Deo concinnendas, populos innumeros ad celebritatem coeuntes permouent. Præclarum erat illud supremæ virtutis symbolum, in veteri Testamento, cum Tobiæ senioris oculi ex hirundinis excremẽto albugine obducti, multoq; tempore vsura lucis destituti, illito collyrio felleo, ab Angelo Raphaele illustrarentur. Hæreo, an forte maius fuerit Hyacinthi opus istud stupendum. Nam quis scit, naturaline vigore piscis illius fel acidum, albuginem oculorum Tobiæ absterserit? lucisq; vsum denuo concesserit abdita aliqua medela? Hyacinthus nihil tale admouet. Non piscem quærit Euphratæum, non collyrium cõponit, non pharmaca miscet; sola fiducia nixus, Crucis imagine obiecta, vtrumq; vtroq; oculo cæcũ non sine admiratione illuminat. Et Raphael quidem Tobiam, aliquando oculorum vsu vigentem, sed tunc ex obducta albugine cæcutientem, sanauit. Hyacinthus autem à nascitura ipsa ex cæco matris ventre, cæcos prodeuntes, & toto septennio nihil vnquã videntes, lumine donauit. Hæc gemellorum illuminatio, portendebat, Hyacinthum potentissimum fore contra Principes tenebrarum, quorum ea est cura præcipua, crassam caliginem erroris mortalium animis inducere. Faciũt id in eis quos Diuina permissione obsederũt. Hi enim, quod sæpe videmus, ita mente capti solent esse, vix vt aliquis alius vel Gẽtilis, vel hæresi abominanda imbutus, tantas in Deum blasphemias, & in Sanctos Dei iniurias impio ore euomat, quantas à dæmone obsessi proferre solent, animo illorum cæcitate percusso. Quã ob rem & in eos quoq; potestatẽ Hyacinthus accepit. Taceo quod illos spiritualiter pepulit à plurimorum mentibus; dum multos in tenebras dirissimas idololatriæ coniectos, & in pestis sempiternæ regionem detrusos, Verbi Dei splendore collustrauit: quamq; horribilia essent illa monstra erroris animo concepta, eis declarauit. Et illud prætereo, quod è lucis, delubris, statuis, in quibus sitim suam infinitam, hominum strage & internecione perpetua ex-

D plebat,

plebat, profligauit: neq; illam victoriam nunc percenseo, quam de eodẽ Satana in specie hominis in medio fluminis apparentis tulit, dum in spiritu, eum esse teterrimum draconem cognoscens, iracundia commotus, baculo cui nitebatur, spectrum illud percussit, & vsq; ad alteram ripam super aquas sicco pede decurrens, in Christi nomine fugauit. Hoc leuiter attigisse sufficit: quod energumenis tanto terrori fuerit, vt vel ad nomẽ Iesu Christi ab eo contra illos prolatum, vel ad viuificæ Crucis signum obiectum aut impressum, tanquam fumus ex miserorum corporibus euanescebant. Vociferabantur ijdem passim, contra eundem: O infelix Hyacinthe, cur nos nostris sedibus deturbas? At ille clypeo fidei, & Christi memoria quasi galea munitus, eos adoriebatur, nec prius à certamine singulari discedebat, quam prius illos in perniciem hominis alicuius intentos, Diuini verbi acutissimo gladio concidisset, & in fugam turpem coniecisset. Numerus non potest iniri, eorum quos à tyrannide & truculento consortio dæmonis liberauit. Argumento est sepultura illius, terrifica energumenis. Fassi sunt ipsi dæmones, vt est in Actis processus canonizationis Sancti, coram Andræa Parczouio Prouinciali Poloniæ, quẽdam exorcizante, & coram multa adsistentium caterua, locum in quo S. Hyacinthi corpus quiescit, vehementer ardere: inuisa scilicet illis viri sanctimonia, quæ etiamnum, quasi flamma aliqua, torquet infelices spiritus, dum ad nomen, meritaq; Sancti Hyacinthi pro obsessis inuocata, demigrare ab eis coguntur.

CAPVT DVODECIMVM.

Propagatio Ordinis Prædicatorum in Septentrione per S. Hyacinthum.



BI iam Craconiensium, & proxime adiacentium Oppidanorum mentibus, purioris vitæ amorẽ insæuisset, & miraculorum gloria multos adiuuasset, religionisq; Prædicatorum non minima incrementa corã apud eos conspexisset: non ijs limitibus angustis, ait, mea desideria, meiq; conatus arctari debent. Omnem iam terram ad Occidentem Solem expositã, meus Pater Dominicus, syderea illa sua doctrina irradiauit: nec id modo effecit, quod stella in fronte paruuli apparens portendebat, ipse vt solus radio verbi & virtutis immensos illos sinus Italiæ, Galliarum, & Hispaniarum, illuminaret, verumetiam, quod domicilia stellarum in perpetuas æternitates lucentium, Monasteria scilicet, eruditorum discipulorũ suorũ apud illos cęlo disiunctos populos propagarit, inuexeritq;. Mihi etiam in eandem curam incumbendum est merito. Hæret animo illud Patris extremũ votum. Dilationẽ Ordinis maiori quo potestis labore promouete. Cracouię igitur non multo post vale vltimũ dicturus fratribus, vocat

vocat ad se F. Cessaum cum Hieronymo, & Henrico Morauo, eosq; affatur: Vita ipsa te chariorem habeo semper, Frater mi dilecte: at cum ea quoq;, non ita mea sit, vt ipsam pro nostro Christo profundere non debeam, meis spiritualibus oblectamentis, quas ex tuorum ornamẽtorum decore, concipio, non possum adeo absorberi, vt curam quæ vtriq; nobis iniuncta est, Religionis nostræ adaugendæ postponere velim. Perge igitur ad Occiduum terræ cardinem, ego Septentrionem & Orientem mihi adlego. Tu Boemorum, Morauorum, Silesiorum, Saxonum: ego Prutenorum, Liuonum, Lituanorum, Ruthenorum, & his longe amplius positorum Tartarorum, Dacorum, & aliorum salutem curabimus. Mora igitur omni postposita, tres illos in Boemiam destinat: quibus nõ infeliciter negotium cessit. Cessaus enim tum Pragæ, tum Vratislauiæ, inq; alijs vicinarum regionum ciuitatibus, Ordinis professi Monasteria amplissima accepit, quarum aliqua postmodum à prouincia Poloniæ separata, duas easq; nobilissimas prouincias in Religione Prædicatorum effecere. Ipse autem maiorem & minorem Poloniam, & Masouię, Prussiæ, Pomeraniæ, Liuoniæ, Lituaniæ & Russiæ prouincias peragrans, Sandomiriæ ab ipso Principe Lesco & Adleyda sorore eiusdem, S. Iacobi Apostoli extra muros insigne cœnobium, intra vero, S. Mariæ Magdalenæ Ecclesiam & domum: Plociæ itidem duos conuentus à Conrado Duce, scilicet S. Dominici in suburbio, & in ipsa ciuitate, SS. Trinitatis: postmodum Posnaniæ, Dantisci, Rigæ, Elbingæ, in Monte Regio, Derpati, Kiiouiæ, Haliciæ, Leopoli, Præmisliæ, alijsq; in locis præclara accepit Religionis Prædicatorũ cœnobia. Tale habetur in Annalibus Ecclesiæ Cathedralis Cracouiẽsis, de incrementis Ordinis in Septentrione, testimonium. Breui (scriptũ ita extat) temporis interuallo, numerus Monasteriorum Ordinis Prædicatorum in Septentrione creuit, & incipiendo ab Alpibus, qui Hungariam à Polonia disterminant, advsq; mare Oceanum, omnes terras, omnesq; sinus & intimos secessus, compleuerint. Perspicuum est, quod & in vicinam Sueciam, Finlãdiam, Norduegiam, Daniam, Scotiam, aliaq; gelido Trioni supposita Regna, Hyacinthus Religionem Prædicatorum intulerit, cum eadem infra limites Oceani maris, in Balthco sinu comprehendantur. Nec vero raras Hyacinthus suo tempore recipiebat, sed numerosissima Monasteria. Extant antiquitatis obductæ notæ, quando Cracouiensis conuentus ducentos, totidem Vratislauiensis, tot Gedanensis, Sodales, cultui Diuino deditos, hominumq; salutem curantes alebant, alij quidem non tantum numerum, sufficientem tamen muneri religioso domi forisq; obeundo. In Sandomirieñ. obsidione grauissima Tartarorũ, nouẽ & quadraginta reperti, omnes martyrij lauream tulerunt, pro Christi gloria fortiter occumbentes. In Kiiouiensi vero Cęnobio, ad eum modum Fratres S. Dominici breui creuere numero & meritis, vt Volodimirus Dux Kiiouiensium, & Volinensium, ad schisma iterum violata fide Ioan. Dugloss.

reuertens, veritus ne reliquam partem Ciuium, & Nobilium, cũ iam potissimam & maximam eorundem Ecclesiasticæ vnitati reddidissent, ad Ecclesiæ gremium reducerent, absq; ritu execrandi schismatis, ad candi diorem Matrẽ abducerent, illos iusserit Kiiouia abscedere. F. Martinus proximus à Godino tunc præerat conuentui, dum Fratres ob id solũ crimen, si crimen est, schismate præcisos Christi corporis vnitati inserere, in exilium deportati sunt, à Kiiouiensi Monasterio. Ita illi dum Prædicatorum institutũ, Orientalibus ignotum inter eos propagarent, satius Christi gloriam, supremi eius in terris Vicarij, Pastorumq; omniũ Principis auctoritatem & Maiestatem, Mystici Ecclesiæ corporis indiuiduã vnitatem, Sanctorum indissolutam, nec in partes sectam cõmunionem, contra peruicax schisma promulgabant. Non ingloriũ id fuit Religioni vniuersæ: quinimo ad perennẽ famam cessit. Non enim quod Matronas auro vel argẽto pietatis prætextu expilasset: non quod auida manu opibus alienis inhiassent; non quod in statui suæ minus congrua officia inuolarent: aut vel populum contra Principem, vel è contra vrgerent, aut in rationes administrandæ publicæ rei animaduerterent, vel sese impudenter ingererent, sed pro Pontificis Sũmi Principatu, pro Ecclesiæ vnione, pro sacrorum cõmunione, quam perduellis Volodimirus scindebat, partiebatur, ridebat & calcabat, furori furenti locum dederant. Quam ob rem nec notæ aliquæ eis turpes inustæ, nec ædes dirutæ, nec pyramides erectæ, neq; tabulæ characteribus impressis atro lapillo signatæ sunt post illos: quin modico interstitio in vrbem reuocati, de peruicacia, & olim obstinata mentis acerbitate, patientia infracta triumpharunt.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

S. Hyacinthus Vandalum siccis pedibus traijcit.



SALVATOREM nostrum Christum, scimus non semel sicco vestigio super vndas ambulasse: nempe vt se eum demonstraret, qui dominatur potestati maris, quiq; super fluctus illius graditur: & vt futuræ dotis, ex animæ gloria in corpus immortale redundantis, agilitatis scilicet aliquod specimen adhuc in corpore mortali daret. Imitatus est illum, & in hac quoq; parte S. Hyacinthus, qui etiam ter ingentes fluuios pede sicco calcauit & transiuit. Masouiæ Ducatum ad Septentrionem porrectum lustrare destinarat, vt fame Diuini eloquij laborantes, flexiles illos ad bonum populos satiaret. Prætergressus abrupta Montis calui, qui Minorẽ Poloniam à Masouia disterminat, finesq; illos ingressus, apud Cernẽses, Varaceñ. Varsauieñ. aliosq; littori Vandali assidẽtes, celsa magnitudine animi ac sapientia, salutem illorum, verbo, exemplo, & miraculorũ ope-

ratione curabat. Vissogradum Oppidum illius prouinciæ tunc celebre habebatur, Hyacintho ad messem spiritualem operandam opportunum. Ad illud itinere pedestri contendens, accurrit ad flumen Vandalum, cũ per se latissimum & altissimũ, tum vero ex liquefactis niuibus, fractaque glacie, plus solito turgidiorem atq; incitatiorẽ, vnde nec tranatu facilẽ, quinimo & impossibilẽ. Quam ob rem nec linter, nec nautæ apparebãt, qui in alterũ littus Vissogradense itinerantes traijcere vellent. Vrgebat Hyacinthum charitas incensa, ad Oppidum quantocius visendum, semineq; verbi cœlestis inspergendum. Cupidus, volebat ante noctẽ Oppidanis concionari, sed ardori amoris, deerant humana subsidia. Quid faciat, quidve hoc loco consilij capiat? Moysis Israelitarũ Vatis, in primis exẽplum animo voluit: qui Philosophia Diuina populum illum rudẽ instructurus in deserto, mare Erythręum secuit, in muros validos glomerauit, & inter tumentes fluctus viam tutus aperuit. Occurrit illi & factũ Iosue, qui Ioardanis cursum incitatum inhibuit, aquarum mole ne laberent suspensa. Elisei quoq; reminiscitur, qui iam parere hominibus assuetũ Iordanem, ictu pallij diuisit & stitit. Præter vero hos omnes, Christi Domini species supra mare ambulans, & Petrum naufragantem eripiens, illi in animo fuit. Quapropter spei ac fiduciæ plenus, Diuinoq; sibi tũc affuso lumine incitatus, Cruce signat fluuium, nõ fluentẽ quidem aquis sed vndis furentem, sed vorticibus feruentem, sed glaciales lapides immensos voluentẽ. Iubet in Christi nomine, motabili aquæ, se vt solidæ petræ instar gressibus suis substernat. Deinde intrepidus insilit in flumen vado pede, premit, calcat, transmittere incipit vndas illas, quasi duram tellurem nihil plantis cedentem. Benedictum quoq;, Florianum, & Godinũ socios sibi adlectos se sequi iubet. Metu illi perculsi, pendentes consilij, pauẽt, ad miraculum: nec tamen se aquis furentibus cõmittere audent. Animat Hyacinthus, inuitat, prouocat: Heus sequimini pusillæ fidei: nihil ambigatis, nihil vereamini. Fidei feruidæ, omnia cedere arbitramini. Qui pro salute Petri vndas pede non morbido calcauit, feret & nos siccis plantis, pro ouibus Petri laborantes. Trepidant tñ ijdem, atq; hærent in ripa, rẽ humano modulo metientes. Illic Hyacinthus, tergo aquarum præterlabentium firmis plantis insistens, expandit pallium, non aquas diuisurus, sed eo lintris loco & officio vsurus. Age, inquit, vestis hæc, sit vobis põs Domini Iesu Christi, cui vos securi cõmittite. Imperat tandem, nutantibus, & superascendant suum pallium. Qui ab inconcussa fide Hyacinthi animos assumentes, cõmittunt se pallio, credũt se vndis, & trahente inusitatam nauiculam, gubernanteq; Hyacintho, amne secundo delati, fluuium transmiserunt incolumes, sicca tunicæ talaris ora, & nec solcis quidem madefactis. Attollant alij Maurum Abbatem, qui ad imperiũ Benedicti Abbatis, parendi magis auidus quam de periculo cogitans, stagnũ Simbruinum placato æquore, pressit plantis. Pressit Hyacinthus Vistulam,

lam, incitatissimo cursu labentem, vltro, meditatus, periculi gnarus. Eliseus pallio Iordanem scidit, vt tamen vado transiret: idem Iosue & Moyses fecere: nullus eorum tale quid vt Hyacinthus tentauit, vt & ipse pellucidas fluxiles vndas, ac si crystallinæ duriciei essent, calcaret, pallioq; pro lembo vteretur. Franciscus quidem à Paula, Siciliense fretum, veste pro lintre vsus traiecit: quod inhumani nautæ, naulum vnde solueret nó habentem Franciscũ transportare recusassent, ac in littore deseruissent. Magnum hoc fuit facinus, à magna fide patratum: at quod longo interuallo post Hyacinthũ vixit Franciscus, potuit à Hyacintho didicisse: fidere Deo, atq; audere magna, qualia ausus est Hyacinthus. Miraculum hoc sane cum per se magnum sit, tum etiam magnam præseferebat significationem. Significabat in se quoq; impleri vaticinium Isaiæ Prophetæ, de legis nouæ promulgatoribus prolatum: Beati qui seminatis, ait, super aquas, immittentes pedem bouis & asini. Augurabatur etiam, in altero sæculo eas aquas calcaturum, de quibus dictũ est: Et aquæ omnes quæ super cęlos sunt, laudent nomen Domini: qui viuens quoq; pedibus Christi subiecit, illas de quibus fit visio cuidã Apostolo: Aquæ multæ, populi multi. Indicium deinde erat, hoc quod tanta animi firmitate super tumescentes fluctus ambulauerit, Hyacinthum nulla rerum humanarum inconstantia, & mutabilitate, vnquam flexum iri. Vissogrodum autem ingressus, pellecta in sui admirationem plebe vniuersa, quæ inquirebat quando, & qua ratione Vandalum tranasset; sementem verbi Diuini super aquas illas, aquea scilicet corda Oppidanorum, non adamantina: nimirum ad impressionem virtutis mollia & facilia, nó vero obstinata pectoris pertinacia, lapide adamantino duriora, spargere cępit: immittens pedem bouis & asini: exemplum videlicet sanctimoniæ: nimirum, vt ab illo, pietatis & religionis laboribus & contentionibus assueto, ac pene attrito, sicut à boue maiore minor arare discit, quod in Prouerbium transijt, populi illi nouellæ geniturae in Christiana Ecclesia, non detrectare Christi iugum, nec sub eo frangi obnixa mentis patientia, sed magna audere, & sufferre, adq; maiora concito cursu pergere ediscant.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

S. Hyacinthus paralyticam sanat, alijsq; languoribus medetur.



VÆ autem in Iudithã Nobilitate generis & pietatis studio inlustrem, patrarit, nó debeo silentio obuoluere. Dum itaq; Poloniæ fines vniuersos Hyacinthus prædicatione sua compleret, ingentibusq; factis ad meliorem frugem multos reduceret, accedit ad eum Prandotha filius Iudithæ, opẽ iam fer è emortuæ Parenti, ab eo postulaturus, Paralysi illã grauissima resoluta

ta

ta plures annos lecto decumbebat, vsu mēbrorum fere omniū destituta: non pedes incedere, non manus mouere, non corpus in hanc vel illam partem voluere, deniq; nec vllum verbum proloqui poterat aut balbutire, linguæ etiam officio à paralysi præpedito. Medicorum auxilio, posse matrem sanari existimans, plurimos illorum ad opem ferendam accinerat. At frustra. Bulgam illi operis suis mercenarijs, & pharmacorū præscriptione mulgebant, dum ceromata acsi cadaueri exangue, Iudithæ apponerent, tantum illa proficiebant. Torquebat miserū vehementissime, matris dulcissimæ species; lecto an tumulo verius, quia nec magis viuam, quam mortuam putabat, inhærens. Dum ergo pecunias & spes suas in humanis positas, perditas fuisse experiretur, sero sed non infelici cępto ad Diuina confugit. Hyacinthum interpellat, solertissimam medicorū manum accusat, ipsum obsecrat, ne dedignetur ad grabbatum, iam ex morbo putrescentis matris suæ accedere, cœlestem opem vbi humana deforet, paralyticæ laturus. Annuit non grauatim Diuus Hyacinthus: it cum Prandotha ad domum decumbentis. Lecto propinquior, mærentē quantum potest, verbis solatur: dolorem internum peccatorum admissorum in Iuditha excitat. Fide vt in Deum feratur ardenti, iubet: bono animo esse imperat. Futurum, vt ille qui triginta annorum spatio, supra piscinā probaticam iacentem seminecem, non motatione aquę fętentis ex olido sacrificiorum excremento, sed recondita Dei virtute in pedes erexit, sanumq; & incolumem grabbato sublato abire præcepit. quiq; surdi & muti cuiusdam, sola digitorum, in aures & labra impositione, fibras resoluit, audireq; verba salutis, & eloqui laudes Diuinas voluit, dicens: Epheta, quod est adaperire: vt tunc quoq; illi, modo credat, & linguę, & manuum, & pedum, membrorumq; omniū officium, paralysi ablatum restituat. Præmissa tandem de more precatione, ad eam conuersus, ait: Dominus Iesus Christus, qui verbo restaurat vniuersa, liberet te ab hac infirmitate, modulos linguæ tibi reddat, & in pedes te prostratam erigat, & ego quoq; in nomine ipsius tibi præcipio, Surge, ambula, loquere. Repente ab illa morbus exulauit, & linguæ impedimento soluto, cępit verbis clare conceptis, & voce expressis, Deum benedicere, mirabilia operantem per Sanctos suos. Longe lateq; per vniuersam Poloniam fama huius miraculi peruolauit. Quam ob rem, vt quondam ad Saluatoris nostri prætergredientis præsentiam, Israelitæ & Gentiles, suos quiq; languidos vicatim proferebāt: vt vel fimbriā vestimenti ipsius contingere, vel vmbra transeuntis adumbrari, vel eius vocē omnipotentē exaudire possent, ab ijsq; omnibus virtutem promanantem experiri. Proferebant & Poloni vniuersi ad Hyacinthum, omnes quotquot Medicā opem inopē senserunt. Quoquo ille se vertebat, erat videre per vicos, compita & plateas, atq; per fora publica, febribus acutis exardescentes, hydrope turgidos, icteritia fla[illegible]centes, igne regio consumptos, carbunculo vel can-

cro, vel vlcere alio pessimo, & quo nō morbo prostratos? animã agentes. Omnes istos Hyacinthus, Dei implorato auxilio sanabat, & ex emortuo corpore fugientem illorum spiritum, continebat: ita & omniũ ægrotationum, necessitatum & periculorum, singulare cathaplasma & amulethum censeretur. Non eo inficias, quod gratiam sanitatum plurimã, plurimis sibi dilectis, Deus optimus concesserit. Scio tamen vt plurimũ in partes sparsam. Laurentius cæcis lumen restituit, Sebastianus à peste protegit, Antonius ab incendio liberat, Petrus Martyr dolores capitis remouet, Vincentius Ferrerius febrium ardores cohibet, Valentinus morbo epyleptico medetur, Rochus pedes, Apollonia dentes, Agatha mamillàrum torsiones, Blasius gutturis defluxus, alij alias hominum calamitosorum infirmitates curare dicuntur: ait enim D. Paulus Apostolus, varias esse diuinarum diuisiones gratiarum. Verum Diuo Hyacintho nō vnam sed multas sanitatum gratias abunde contulerat. Nemo se eius vnquam patrocinio cōmisit, qui non se ab eo mirabiliter adiutum senserit. Mortuos enim ad vitam reuocauit, hic mēbrorum & totius corporis stuporē debilitatemq; patientes corroborauit: hic febres depulit, hic cæcis oculos aperuit, hic surdis auditum tribuit, hic claudos ingrediendi facultate donauit, hic mortifera vulnera sanauit, hic amissum loquendi votum restituit, hic agonizantes à portis mortis reduxit, hic fluuiorum cursum retardauit, hos à carceribus teterrimis, illos à seruitute dura, alios ab incursu hostium liberauit. Illum prole optata, hunc cupitis facultatibus, exornauit & amplificauit: illi peccatorum veniã, huic iustitiæ decus, alteri hoc & illud beneficium larga cōtulit manu. Altorem illũ inopes, pupilli tutelam, abiecti defensorem, afflicti consolatorem, ægroti medicũ, Taumathurgum vniuersalē omnes; & singuli potentissimũ agnoscebãt, persentiebãt. Rite vt in ipsum quoq; Hyacinthũ, siue à flore, siue à lapide medico vocetur, vsurparetur à nonnullis, illud quod de Iesu Christo Archiatro, in ore orbis est. Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Propagatio Religionis Christianæ per S. Hyacinthum.

INTER præcipuas autē curas Hyacinthi, illa suprema fuit, Fidei Christianæ scilicet propagatio. Angusta erat pectori illius latitudini, Minor Polonia Prouinciarum omniũ amplissima. Cępit ergo de finitimarum aliarum, immo & de longe remotiorum Regnorum salute cogitare. Vastissimas igitur illas regiones, in Septentrionem & Oriētem latissimo sinu protractas, perlustrare, & face ignea eloquij Diuini illustrare pergit. Masouiæ finibus excedēs, Prussiam ingreditur. Michaelem Episcopum Culmensem, vnà cum Duce Pome-

Pomeraniæ Suentopelco tunc ibi reperit, in eo totas esse, vt Prussia vniuersa, iam olim sanguine Adalberti Martyris irrigata, sed adhuc non vsquequaq; à Gentilium vanitate expurgata, ad veri vnius Dei culturã traduceretur. Ab ijs benigne suscipitur Hyacinthus: & eo magis, quod iam pridem fama virtutum illius apud eos increbuerat: quodq; eodem vt ipsi desiderio flagraret, religionis Christianæ apud barbaros amplificãdæ. Dant ergo illi potestatẽ, intimos recessus Prussiæ peruagandi. Sponte sua incitatum, precibus impellunt, vt labori parceret, quo Gentiles illi plurima ex parte à religione Catholica abhorrentes, veritatis radijs illuminentur, & in amorem Dei incalescant. Potestate accepta, velut Sol lucidissimus partes illas Cymmerijs tenebris ignorantiæ obrutas, irradiat & orationibus assiduis, contemplatione, benignitate, puritate animi & corporis, rerum humanarum despicientia, charitate, patientia, cæterisq; animi ornamentis, primum in se oculos atq; ora omnium cõuertebat. Amore eorum sibi conciliato, Sapientia pone Diuina & eloquẽtiæ profluuio, cæcas illorum mentes ad lucem Fidei contuendam adducebat, & arẽtia corda tanquam carbonibus vastatorijs, ad eorundem dogmatum, quæ animo conceperãt, amorem inflammabat: vt paucis annis, Deo aspirãte, id effecerit quod optabat, vt maximi motus, & insignes ad veram Fidei doctrinam conuersiones inibi, quin & apud vicinos Pomeranos, Liuones, imo & apud Lituanos remotiores, fierent: idola deijcerentur & comburerentur, aræ abominandæ demolirentur, sacrificia horribilia & cruẽta cessarent, dæmones statuis antiquis pellerentur & splendore Euangelij plurimi illustrati, ad Sanctæ Matris Ecclesiæ gremium redeuntes, ad pulchritudinem virtutis aspirarent, Deo vni & trino templa magnifico sumptu ędificarent, pura & virtutis sanctificãtis holocaustomata instruerent atq; offerrent: huic vni se totos, suaq; omnia dicarẽt: & in loco blasphemiæ, trophęa Crucis statuerẽt. Fateor, quod prima religionis fundamẽta, apud illos iecit Adalbertus Episcopus & Martyr: collapsa tamẽ eadem restaurauit Hyacinthus: & quæ intacta remanserant, ad culmen perduxit, documẽtis ornauit, & exẽplis tunc corroborauit. Ex hoc verbi semino Hyacinthi, delectatus Suentopelcus Dux, & Michael Episcopus, alijq; pietate insignes viri, plurima illic Monasteria Religioni Prædicatoriæ, nempe Dantisci, Culmæ, Rigæ, apud Montem Regium, Elbingæ, Thorunij, Dersouiæ, Derpato, & in alijs mari Balthæo adhærescentibus locis, per ea & postea succedentia tempora struxerunt: ne scilicet ad aliarum gentium conuersionem properante Hyacintho, deessent illius discipuli, virtutis paternæ æmuli: qui quod seuit Hyacinthus, fouere, colere, & ad frugem speciosam, maturescentes perducere possent. E tribus illis primarij socijs, Beatum Benedictum Gedanensibus, & vniuersæ Prussiæ præfecit. Liuonibus autem Meynardum, Lituanis autem Vitum; ex alijs Monasterijs Poloniæ accitos, reliquit: qui & primi earum gentium Epi-

ſcopi, à Sede Apoſtolica Prælati, ad eximiæ pietatis, religionis & ſancti-
tatis ſtudium, innumeros pellexerunt B. Viti opera fuit, vt Mendegonus
Magnus Dux Lituanorũ, iam olim ex Prædicatione S. Hyacinthi, relicta
idololatria, ad Christi fidem vnà cum maxima Lituanorum multitudine
accedens, ritu Eccleſiæ Catholicæ, ab Henrico Archiepiſcopo Pruſſiæ ex
ordine Prædicatorum, in Regem inungeretur. Ad Orientem deinde per-
gens Hyacinthus, Ruthenos, Moſchos, & Scythas, hos idololatras, illos
etiã vel tales partim, vel ab vnitate Eccleſiæ, ſchiſmate præciſos, inuiſit.
In his Danielem Ducem Ruſſiæ, Eccleſiæ reconciliat, adq; diadema Re-
gium in gremio eiuſdem Eccleſiæ à Legato Apoſtolico ſuſcipiendum di
ſpoſuit. Apud hos Ruthenos ex parte idolorum cultura maximis cõtẽ
tionibus ſublata, ex parte vnitate Eccleſiaſtica reſtituta, ſui instituti, di-
ſciplinæq; Gerardum, Præſulis dignitatem à Summo Pontifice, primo ob
tinentem aſpexit. Penetrabat poſtmodum interiores, & magis remotio-
res tractus illos. Haliciam veniens, illud inter maiores laborum ſuorum
fructus retulit, par coniugum cœlibum. Colomannum & Salomæam Du
ces, ſeu Reges Haliciæ, quos ad ſanctioris vitæ faſtigium flammante lin-
gua pertraxit: dum par inſigne turturum, voto emiſſo caſtitatis perpetuę
ab vtroq; eſſe voluit. Tulit ab ea ciuitate, Archiepiſcopali Sede tunc il-
luſtri, B. Bernardum Archiepiſcopum, Apoſtolum gentis illius & Marty-
rem, à truculentis hoſtibus Fidei Tartaris, ſerra diuiſum. Kiiouiã quoq;
peruaſit Metropolim Ruſſiæ Hyacinthus, in qua ad vnionẽ Eccleſię per-
trahenda quatuor annis integris inuigilans, ingẽtem lætitiam Gregorio
IX. & X. & Innocentio IIII. Pontificibus Romanis, vniuerſæq; Eccleſiæ
peperit, noua quaſi parturitione filiorum reducum, olim perditorum er
roneo ſchiſmate. Exinde enim ad Tartaros excurrens, & ad Græcos, par-
tim ſua, partim Fratrum à ſe ſubmiſſorum contentione, Palæologum O-
rientis Imperatorem, poſt decimam & tertiã ab Eccleſiæ corpore ſciſio-
nem, vnà cum Eccleſia illa florentiſſima Orientali, ad Occidentalem in-
clini capite redeuntem, fęlici nexu iungendos diſpoſuit; & Regem Tar-
tarorum quendam, Procrum & Satraparũ gentis numeroſa caterua cin-
ctum, ei adiunctum, vtrumq; potentiſſimum, in Concilio Lugdunenſi Ec
cleſiæ præſentauit: hunc baptizandum, illum denuo in vnitatẽ corporis
inſerendum. Oblectabat tunc Eccleſiam in eodem Concilio, qua Baptiſ-
ma Gentilis Regis Tartarorum, qua vnio Palæologi Imperatoris Orien
talium; illum conuertit Hyacinthus, hunc ad vinculum Eccleſiæ cõduxit
Hyacinthus. Et ne ſuo diſceſſu, relinqueret oras illas, Leopolim, Haliciã,
Pramiſliam, Kiioniam, & alibi locorum, colonias Religionis Prædicato
rum deduxit, pietatę Chriſtianorum, illic exædificatis Monaſterijs.

Omnia igitur, quæ in Oriente, ijs in locis, quæ ſanctiſſimus vir ſuæ cul
turæ partes eſſe voluit, pie, religioſe, caſte, liberaliter, humaniter aliquã-
do facta ſunt (at quam innumerabilia effecta ſuntẽ) omnia inquã à Hya
cintho

cintho tūc facta sunt. Vere vt possit, Prussiæ, Pomeraniæ, Liuoniæ, Lituaniæ, Rusciæ, Scythię, & Orientis, atq; Septentrionis Apostolus nūcupari. His, laboribus, etiam illud in quo minimè laborabat, effecit, vt ipsius nomen ac fama, vastam satis Poloniam, & non eam solum, sed & vniuersum Septentrionem & Orientem, ingenti cum admiratione peruaderet.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

Opera Diui Hyacinthi in Ruscia conuersione, & lucta illius cum dæmone.

PLACET altius repetere ea, quæ alij in S.Hyacinthū, præter ea, quæ retulimus, pronunciarunt in publico consessu. Fornicata fuerat, aiebat quidā, à veri Dei cultu Russia, cuiq; idolo suos aperuerat thalamos, & quemq; dæmonē inferni, ad suos admiserat congressus: nam Fidem Christi, quā à S.Andræa Christi Apostolo, ante Volodomirium & Helenam semel susceperat, nō semel apostasia contaminabat, atq; eiurabat. A S.enim Andræa, scribit Guagninus, Apostolo, vel vt Miechouius à Sāctis Thadæo, & Bartholomæo Apostolis, Rutheni, se fidem Christianam olim suscepisse iactant; quē ex Græcia, per Pontum Euxinum ad ostia Boristhenis fluuij, Gentilibus Dnept dicti, appulisse, annales eorum testantur. Et inde Kiiouiam tūc temporis Metropolim Russiæ, aduerso fluuio peruenisse, atq; ibi omnem terrā Russiæ benedixisse, & baptizasse, signumq; Crucis illic cōstituisse. A Kiiouia vero, aiunt, eum ad fontes Boristhenis Dneprislea dictos peruenisse. Inde in Nouogrodiam Magnam, & hinc ad mare Balthæum, & eo Romā vsq; prętereuectis Gallijs & Hispanijs nauigasse, Moscisq;, Liuonibus, Scythis, Samagitis & Prutenis Euangelium prædicasse. Hanc tamen Fidei Christianæ puritatē, vt Pruteni, & Liuones & Samagitæ, ita Rutheni, Moschi, & Scythę deserentes, sæpe & in maiori parte idolis, nēpe igni, arboribus, lucis, serpentibus, demonijsq; in statuis delitescentibus, & inde oracula pandentibus sacrificabant. Quibus autem scintilla Diuinæ lucis, nō erat extincta: ij ab vnitate Ouilis Ecclesiæ, schismate se præscindentes, nefario, Pontificem vniuersalis Ecclesiæ peius cane & angue odio insequebātur: extra mysticam Christi cymbam misere naufragantes. Stetit Hyacinthus, & mœrore tabescens, illa secum expendebat verba: Itane Imperator Orbis, à suis exulabit finibus? Siccine populus Dei Deum immani prosequetur odio? Sic flagitiosa idololatria, sic impium schisma, Sūmi Pontificis contaminabit, dilacerabit Ecclesiam? Itane sæua tyrannis dæmonū, in animas grassabitur humanas? Ego vero teterrimo draconi suppositā Russiam, æquis intuebor oculis? Neutiquam sane. Omnia mihi tentāda sunt, cuncta aduersa subeunda; modo Oues cruore Christi pretioso redēptas, à Satanæ iniquo dominio subducam, inq; vnam mandrā, vni & so-

Guil.Ala. ex MS. superior in Orat.

Ale.Gua. t.2. in 8. f.213.

Miechou. lib.2.c.1.

Alan. vbi supra.

li Christi in terris Vicario, cura mea introducam. Eo zelo Diuini honoris, animarumq; salutis ardore incensus, omnia post Religionis Christianæ propagationem ponenda ducens, Russiam præpeti itinere contendit. Nullum tunc apud Orientales laborē, nullumq; certamen recusauit, modo Rutheni, Daci inferiores, Tartariq; immanes, è tenebroso idololatriæ carcere emergerent, & lucem non inuolutam caligine aspicientes, postliminio se ad meliorem frugem reciperent. Neq; eū spes suæ, Altissimoq; pro conuersione idololatrarū fusi gemitus frustrauere. Quadriennio. n. fere Kiiouiæ demoratus, ad circumuicinos Ruthenos, Dacos, Scythas, Moschos, Lituanos, vtplurimum cultui dæmonum deditos excurrēs, Cruce proposita, in euellenda falsa eorum religione tantum laborauit, vt innumeros Christo lucrifaceret, & sacra Baptismatis vnda tinctos, gremio Ecclesiæ insereret. Contentione illius, apud eas gentes, aræ dæmonū demolitæ, ignes sacri extincti, luci excisi, serpentes exanimati seu ambusti, statuæ cōminutæ, dæmones è delubris pulsi fugatiq; sunt. Prædicatione Hyacinthi è mentibus illarum gentium, errores sublati, impietas impudicitiaq; cum cæteris vitiorum monstris profligata, furor & amētia euulsa sunt. Adnisu summo S. Hyacinthi, animis horum infidelium, summæ sapientiæ, probitatis, iustitiæ, candoris immaculati, cæterarumq; virtutū cęlestium fructus instillati atq; impressi sunt. Opera Diui Hyacinthi, vexilla & trophęa Crucis viuificæ, in mediam barbariem inuecta, Sacrorū sanctiorum frequens vsus introductus, Diuinarum rerum desiderium & cultus venerādus excitatus, aræ Deo vni & trino erectæ, Templa, domicilia q; virtutum, nempe Monasteria Ordinis, Leopoli, Kiiouiæ, Haliciæ, & alibi ædificata sunt. Tres quoq; præsules genti ab eo nuper conuersæ, alter Gerardus Primus Ruthenis, alter Vitus Primus Lituanis, tertius Meinardo Primus Liuoniæ, oēs Beati, ex Ordine Prædicatorum, S. Hyacinthi discipuli, Episcopi Prȩlati, studio Hyacinthi Apostoli, à Sede Apostolica recens dati fuere. Præter alia S. Hyacinthi in conuersione Gentiū opera, quorum memoriā nulla dies extinguet memoratur, quod in medio Boristhene, motatio fluminis, excretioq;, egesserat insulam nō modicā, arboribus proceris densisq; annorum decursu consitam. In ea Gentiles arborem cæteris crassiorem altioremq;, impulsu dæmonis in ea habitantis delegerant, cui Diuinitatis titulū affingebant, honoresq; Diuinos libabant. ea re oblectabatur impurus Satanas plurimum. Nam exinde grauioribus amentiæ stimulis agitatos homines, acerbissimis miserijs & ærūnis, & intolerandis supplicijs æuo sempiterno cruciandos, sibi comprobat. Angebat vero supra modum Hyacinthum, quod ripæ vastissimi gurgitis non iunctæ sub strato ponte, nō facilem accessum insulæ, fędissimis sacris pollutæ præbebant. At licet arduum & difficile videretur penetrare in aditiorem partem luci: quid tamen Diuina ope efficere posset, cupiebat experiri. Cruce igitur Christi Boristhene consignato, spe in eo qui sicco

Micho. li. 3. c. 52. Marti. Baron. in Icona B. Vir. Lucta Sācti Hyacinthi miranda.

vestigio

vestigio vndas calcauit defixa, plenus ardore, se dat flumini altissimo ra pacissimoque. Sustinuit dorso suo fluuius vorax, sicca vestigia Hyacinthi. Per hunc enim ac alter Seruator intrepidus vdo pede incessit. Ingressus lucum dæmonijs deuotum, plurimos ibi in pestiferos errores lapsos, abominandis Sacris, se Satanę nuncupantes inuenit, stipiti quęrno adgeniculantes. Eia, ait, quæ vos væsania cœpit mortales? Quis stupor vestram peruasit mentem? Truncum, sensus & rationis expertem, absit dixerim Diuinitatis comparticipem, poplite flexo venerari? exhorrescere? opem ab eo inopi & impote flagitare? Quod grauius; à mendaciorum parente, veritatis oracula explorare? Qui in vestram perniciem dies, horas & momenta intentus, ab eo beneficentiæ munera poscere? Deo creatori & reparatori fidem debitam turpiter eiurare? Age sumamus periculum Deitatis Quernæ. Si potis est, se à meo scipione quem defero vindicare, ei Diuinitatis cultũ, impendite. Si ad instar stipulæ, vel arundinis exustæ illi cadenti cedet, credo, non vos amplius dementiæ vestræ, hostias illi offeretis. Conditione accepta ab Infidelibus, Hyacinthus dat ictum scipione, arbori crassissimæ altissimæq;. Ea quasi valido fulmine percussa, inq; partes & sarmenta extemplo diuisa, dat casum. Mox ex illa decussa, Dęmon horribili specie exiliens, profugus se in Boristhenem recipit. Fugientē, insecutus est, siccis item plantis Hyacinthus. Pedo illo suo in ringentem inuectus: Si, ait, consistant aduersum me castra, in hoc ego signo Crucis, quod baculo prominebat sperabo, spiritum illum fallacem deuicit, finibusq; illis eiecit & pepulit. Hinc ad stupentes barbaros regressus, occasione dicendi à lucta illa accepta, de idolorum vnitate, Satanę truculentia, Fidei Christianæ veritate, & Christi iugo suauissimo, de inferorum supplicijs, cœlitumq; ineffabili & perenni lætitia, sermonibus habitis, innumeros ad summum & amplissimum sapientiæ gradum prouexit. Altaria noxio sanguine illita subruit, lucumq; illum opacum igne copioso succendit;

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Diuus Hyacinthus à furore Barbarorum vindicat Sanctißimam Eucharistiam, & Iconam Beatissimæ Virginis.

ILLVD aũt non est inuoluendũ silentio quod de S. Hyacintho Rangonus apud Ticinenses dicebat, præclarum scilicet documentum ad eius in Deum & Diuos pietatem commendandam. Bolum sibi à S. Hyacintho præreptũ Satan, vehementer doluit, seq; vlcisci quoquo modo destinauit. Opportũna autem vltio sibi visa est, si remotiores Tartaros incitaret, ad eos in tyrannidem rapiendos, qui nuper & olim se à castris eius proripuissent, Christoq; no- *Ex MS. processu canonizat. Sancti Hycinthi.*

mina

mina consecrassent. Emersit, aiebat Hilarion Rangonus, per ea tempora, ex Caspijs illis faucibus, quæ Taurum montium omnium quã maximum peruium efficiunt, Tartarorum immensa multitudo. Quæ insignis cuiusdam latronis Dauidis nomine ex Perside oriundi Imperijs tractata, primum in Regna Persarũ inuadens, indeq; in Medos, Assirios, Parthos, atq; Armenos hostili animo penetrãs, ceu sæuissima tigris, quam ex vetustissimis Hircaniȩ saltubus nimia fames diuexet, omnes perdomuit, Regna solo euertit, cunctisq; ferro atq; igni populatis, aurum, argẽtum, cæteraq; pretiosa secum asportans, circa Meotidis littora tandem concessit. Pellexerunt mirum in modum ingentia hæc spolia gentem auarissimam, & maiores rapinas atq; flagitia moliti, in Hungariam, conterminamq; Poloniam extemplo traijcientes omnia vi cęperunt. Erat tunc temporis videre per ea Regna efferatam ingluuiem Barbarorum, in rapinis & direptionibus debacchantem, in constuprandis virginibus, cæterisq; eiusmodi flagitijs spurcissimam luxuriam, in religionibus violandis insanum furorem, in cædibus inauditam ferocitatem: vt omnes alias irruptiones, quas aut historiæ omnium gentium, aut fictę fabularum narrationes prodiderunt, formidabilior hæc excursio longo interuallo superarit. Nec tamen his expleta est eorum rabies: In tẽpla ipsa, imo in ipsum quoq; Deũ maledicti filij Cham infesta signa intulerũt. Imagines atq; altaria demoliti sunt. Eucharistiam quoq; ipsam vt aureas, argenteasq; pixides lucrentur, profanis manibus tractarunt, quin & pedibus, proh dolor, conculcarunt. Kiiouiæ tunc agebat Hyacinthus męrore tabescens: & quid faceret in tanta Barbarorũ immanitate cogitabat. Ergone, dicebat, hæc contagiosissima pestis nõ modo in fortunarum direptionem, atq; hominum perniciem erumpet, sed & in Sancta quoq; penetrabit? in aras Domini sanctissimas irrumpent obscęni? Sacra spurcissimis omnibus bestiæ sanguinariæ deturpabunt? Tantam impietatem capiet mẽs perditissima hominum, vt Domino Deo vniuersorum nefarium bellum indicat? proruat in eius sacratissima templa? vrgeat eius reuerendissimas mensas? appositissimum illud sacrificium, quin & ineffandam eius maiestatem illam, quã cęlites omnes reuerentur, sacrilegis manibus fatigare conetur? Siccine Diuinum decus prosternitur? honor cœlestium despicitur? Christiani cultus reuerentia labefactatur? deridetur? profanatur? Heu quia nimius dolor integrascit, & mea præcordia tota in cruciamenta abeunt. Mene his ipsis oculis aspicere regificum epulum, porcis atq; canibus projectum? Mene intueri lectissimum illud, quod vnice adamo, simulachrũ æthereæ Matris sacrilegis mucronibus trãsfigi, atq; humi correptũ ignominiosissimis velitationibus hac atq; illac distorqueri? Inuisum sit, illud mihi: & vbi coagmentatus vndiq; dolor, tristissimam hanc lucem mihi nequit exorbere, prodibo in campum: contra infestas furiarum harum acies stabo solus & inermis: & saltem Sancta sanctorũ impudentissimis

eorum

eorum ausibus subducã. Aut certe si Mægereas eorum faces & frameas, hoc quamperuoluntario meo sanguine, pijssimus ille Pater me modo cõstituit irroraturum; pro cœlesti hoc holocaustomate, pro icona Mariæ Virginis, illa mihi dulcissima, extremam huius lucis vsuram libentissime obibo. Tandem vbi Scythas iamiam Kiiouiæ propinquantes agnouit, in Ecclesiã introgreditur: & Oraculo Diuæ Virginis Deiparæ, cuius imago ex alabastro efficta in altari prostabat vocalis ad S. Hyacinthum, admonitus, induitur pompam sacerdotalem. Præhensat manu dextra sacram illam hostiam, cuius adorandis aspectibus concidit cœlum & terra: corripit deinde sinistra illam deuotissimam cęlestis Reginæ in prægrandi lapide sculptam imaginẽ, & sacris pignoribus onustus euadit ad Boristhenem fluuim versus tractum Seueriensem. Hunc, ceu immenso eius deuotionis ardori nihil officeret, onerosa corporis grauedo, vel efficta moles lapidea benignissimæ Aduocatricis speciem æque & vim effigurãs, siccis pedibus versus Moscouiam traijcit: vi dubio procul Diuina, quæ gestatorem suum super aquas asportata deduxit. Ferunt S. Hyacinthum exinde per Moschouiæ extimos fines, Seuerienses, Lituanos, Liuones, Samagitas, & Prutenos adijsse, & Gentilitatis errore detentis verbum salutis annunciasse, Fratres Diuinis studijs Dantisci iam intentos roborasse. Masouiorũ fines peragrasse, miraculisq; illustrasse: & ĩde Cracouiã reuersum, preciosissimã illa sarcina onustum citra laborem delata, inq; Sanctissimę Trinitatis templo posteritati relicta, de continuo ad gentes summittendis Fratribus operarijs tractasse.

Fratribus à Kiiouia dispersis, & vniuersis Christi fidelibus latitãtibus, qui cædibus se subtraxerant, reliquit Beatum F. Godinum, qui męrentes solaretur, conuentui recollecto præesset, operæq; inchoatæ inuigilaret, nec vnquam ab incępta cura salutis humanæ vlla ratione desisteret.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

S. Hyacinthus segetes grandine ictas redintegrat.

PAGVS est quinta leuca à Cracouia dissitus, cui vocabulum Koscielecz, olim in potestate hæreditaria cuiusdam Clemẽtiæ, quæ tunc clara habebatur generis nobilitate, clarior tamen morum honestate, & sanctitatis laude, quam à Hyacinthi concionibus, priuatisq; hortationibus assecuta erat. Festum S. Margaritæ Virginis & Martyris in Ecclesia eiusdem proxime imminebat. Pro ea celebritate, Sanctum Hyacinthum Cracouiæ senio cõfectum, magnis precibus inuitauit, vt Martyris sacro honori interesse velit. Non respuit eius supplicationes, sed magna cum alacritate, licet iam quieti sese dedere debuisset, pro fectus est: & eo alacrius, quia Clemẽtiæ confessiones ha-

miies excipiebat. Pridie eius Festi aduenies, videt Clementiā, hominum maxima multitudine stipatam, sibi in occursum procedere, eiulantem, & ad pedes Sancti viri sese prosternentem. Segetes enim vniuersas, iam ad messem maturascentes, non quidem ventorum aliquis impetus, aut pluuiarum granedo, sed grando, vehementissimum in modum fractis calamis, & excussis iam frugibus è spicis, triturauit, imo pessumdedit. Casum Hyacintho enarrat, luget euentum: maximo cum fletu obsecrat, vt afflictorum misereri dignetur. Fore confidens, eius meritis, quæ apud Deum magna esse non dubitabat, quassatas aristas restitutum iri. Hyacinthus, vt erat ad compatiendum pronus, pronior vero ad opitulandum, plorantibus collachrymabatur: pernoctare secum in orationibus omnes iubet, se vt supplices Diuinæ misericordiæ sistant inuitat. dat se deinde in supplicationes, Deum tota nocte fatigando precibus, vt eos afflictos & iacētes erigat, & segetibus fruges reddat, quas grando perdiderat. Diluculo diei sequētis, procedit in agros, præeuntibus & subsequentibus Paganis. Accedens propius ad stratam messem, Diuino primum implorato Numine, signo viuificæ Crucis benedicit ictas segetes. Mirabile visu, omnes erectæ pulchriores, frugibusq; vberiores, & crebriores magis quam ante fuerāt, apparuerunt. Quæ res singularis & inaudita, ab omnibus iudicata est. Iosephus à Rege Ægyptiorum primus, indigenis & aduenis fame sçentibus, ne esurie perirent, toto septennio sterili triticum ministrauit. Prouidentiæ id fuit munus humanæ, non omnipotentiæ Diuinæ. Elias Thesbithes apud viduam Sareptanam diuersatus, farinæ pugillū & olei lecythū mirabiliter auxit. Martinus Turonensis Episcopus oratione sua effecit, ne tempestas grandinis, quæ singulis annis Senonensium populorum agros cultos ante vastabat, amplius in posterum eis damnum & egestatē inferret. Saluator Orbis, in manu sua quinq; panibus prodigio multiplicatis, aliquot millia hominum saturos dimisit. Desiderabatur, vt segetes maturas, tempestate fractas, protritas, & fere humo inculcatas, ad pristinam pulchritudinem & vbertatem aliquis restitueret. Restituit S. Hyacinthus. Elias farina aucta, vnam viduā cum familiola exigua pauit. Hyacinthus magnam multitudinem frumento redintegrato recreauit. Martinus grandinis solitum delapsum impediuit, ne segetibus noceret, Hyacinthus ipsas grandine pressas mirabiliter refecit, easque copiosius agendo, se verum Iesu Christi discipulum demonstrauit, qui mirantibus turbis, panes modicos adauxit. Cracouiam ab ea solennitate reuertens, nihil magis animo voluebat, quam vitæ huius fastidio liberari. Vbi ad locum venit, ex quo amplissimā Cracouiæ arcem, tum eminentes SS. Deiparæ templi turres, tum augustam Sacrosanctæ Trinitatis ædem prospexit, in genua prouolutus cogitare secū cœpit, quibus beneficijs à Deo opt. auctus esset. Et illius erga se clementiā tacitus considerans, quod. s. in hac humanæ vitæ breuitate, septuagesimum excessisset annū, quod plurimos

rimos ex eis in religione preclarissima transegisset: quod Poloniã fidelissimis & castissimis religiosis adornasset: quod multos studio & amore religionis inflãmatos, eidem addixisset: quod in Predicatorũ Ordine tot heroes illustres virtutibus præcellentes, quorũ alij lumine doctrinæ illustrarent, alij orationib. & laborib. iuuarent, sanctitate vitæ alij decorarent, alij demũ sanguine sparso amplificarẽt Ecclesiã: quod tantos Raymũdos & Reginaldos, tã splendidos Aquinates, adeo Magnos Albertos, tot Iacobos, Iordanes, Conrados, Hugones, Monetas, Ceslaos, Henricos, Vlricos, & innumera alia Prædicatoriæ sodalitatis fulgentissima lumina conspexisset: quod Diuum Patrem Dominicum suũ albo Sanctorum Ecclesia dignata esset: quod Petrus nouus Martyr in Italia extinxisset grassantem hæreseõn pestem: quod moriens plures quam viuens prostrauerit hæreticos: quod ad eius tumulum cęlestes coruscarent lampades: quod infra vnius anni spatium post mortem, in Catalogum Sanctorũ, magno cum applausu orbis idẽ Sãctus Martyr relatus fuisset: quod per se quaq; innumera admiranda Deus patrasset, totq; gentes è sua spirituali parturitione sibi genuisset. Hæc & alia multa beneficia sibi collata, pia meditatione euoluẽs, gratias immortales soluebat vitę Domino & auctori, pro tantis munerib. Nihil se amplius desiderare, nihil plus in his rerũ humanarum angustijs sibi expectandum esse. Plus etiã quam merita sua exposcerent, & quam inconstantia mundi ferret, sibi esse concessum testatus. Non aliud vltra præter verã vitam immortalẽ, & consortium beatarum mentium se expetere declarans, quantũ poterat ardentissimis votis, suppliciter exorabat Deum, vt se eliberare a vinclis custodiæ corporis, atq; ad sacros fęlicissimorum Sanctorũ cętus, in illud illustre & plenum stellarum domicilium transferre dignaretur. Per id quoq; tẽpus alterum miraculũ perpetrauit. Nobilis quędã Fęlicia sterilis, lamentabili voce, desideratam prolem sibi à Hyacintho impetrari postulabat. Ad eius preces, vir sanctus suspiria & lachrymas excutiens, securus de euentu miraculoso, ei præsago corde dicens: Vade filia Fęlicia in domum tuã. Fideiq; & spei in Deum hæres, filio donaberis. Ecce enim paries talem natum, ex cuius stirpe plures Episcopi & Nobiles generabuntur: ab oratione pollicitationem breui secutus est filius Fęliciæ sterili natus.

CAPVT DECIMVMNONVM.

Sanctissima Virgo Deipara apparet S. Hyacintho.



CONTIGIT postmodum die solenni Assumptionis gloriosæ Virginis Mariæ, ante sacram Iconam eiusdem Diuæ, in Ecclesia SS. Trinitatis Cracouiæ, Hyacinthũ feruentissime, vt solebat, orare. Dum ergo magnitudinẽ mysterij, quod s.

terrena Virginea moles super cœlos eleuaretur: & immensam gloriam Sacrosanctæ Deiparę, quod anima ipsius omnes celites supergrederetur, vehementius consideraret: illico in spiritus dulcedine rapitur: præ nimio gaudio mentis, lachrymas fundit: desiderioq; eiusdem beatitudinis capescendæ inardescit: incenso animi affectu, & lachrymabili voce precatur, vt æternæ illius gloriæ, qua Diua Virgo affluebat, consors esse per Dei gratiam mereatur. Et ecce videt inaspectabilem lucem cęlitus super Aram illam delabi, radiosq; illustres diffundere, quorum splendore, oculi ipsius dulciter diuerberabantur. Videt, & in medio illius supernaturalis luminis, ipsam Reginam cœlorum Matrem Dei, Sole amictam, & stellis coronatam, Lunæ circulo pede presso, ad se descendere. Nec id modo, sed & ab ore ipsius dulce alloquium auida aure exaudit: Ne pauesce, ait Virgo, neq; merore contabescito, ò dilecte fili mi Hyacinthe. Quid enim vereare, qui nihil verendum vnquam admisisti? Quid animo concidas, qui sub aspectibus Filij mei & meis, genus viuēdi impauidum delegisti? gaude potius: orationes enim tuas, acceptas & gratas habet Filius meus: spe deinde inconcussa esto; quia quicquid ab eo, meo nomine flagitaueris, omne id quod ad tuā, aliorumq; salutē attinet, impetrabis. His dictis, cum illa admirabili luce, & Angelicæ melodię concentu, ferebatur Diua in cęlum: post se dulcem harmoniā, & fragrantissimæ suauitatis odorem relinquens; quem humana lingua, Diuinis non assueta, explicare non poterat. Dissuauiabatur & eliquebatur interim Hyacinthus, tacitis, reconditisq; sensibus, ex illa visione delibatis; & suauitatem ineffandam, in suū castissimum pectus, à Matre purissima inclusum, per suspiria, & voces prę raptas eructabat: Mene illam, videre (in dulcedinem solutus dicebat) cōtigit, quam summus Architectus manibus suis expoliuit, syderib. exornauit, & Diuinæ virtutis inæstimabilib. ornamentis illustrauit? Mihi cōtueri obuenit, illam, quam supra omnes etiam supremos Seraphinos in altissimam sedem, pone suam dexterā Deus euexit? Ad me Deus præpotens, ad me Regina orbis tantum delabuntur? ò me fęlicem, ò beatitudinem nunquam à me indigno promeritā. Te, te Sacratissima Virgo appello, te ò dulce meum decus, in meum oblectamentū adopto, age, trahe me post te: trahe, non obluctantem amore aliquo mundi, sed trahe totis conatib. flagitantem. Curremus, vtroq; pede: nō claudicabo ego post odorem vnguentorum tuorum, quib. mea intima perfudisti, irrorasti. Hac visione recreatus, nihil aliud, mentis oculis vsurpabat, quam Diuinam illam Diuæ & Filij Dei speciem sibi obiectam: cuius pulchritudine correptus, diuturnam suam vitā iam esse quærebatur, & de mortis ergastulo vt ocius educeretur, frequenter ingeminabat. Hinc nocte dieq; exiliebat è cellula, & Ecclesiā accedens, nunc erecta facie, tendebat in cęlum supplices manus, nūc imaginis Crucifixi, vel SS. Virginis pedib. aduolutus, illos amplectebatur, lachrymis abluebat, oscula eis figebat: nūc in modum Crucis sese

ante altare tremendum distendebat, & purissimũ pectus eiulatib. euiscerans cōpellebat. O quando ad me, ò dulcis Iesu Saluator meus aduenies? quando amplexu tuo me circumplicatum, in amplissimã domũ cęlestem deduces? putas veniet tẽpus fęlix, quo ego tę in tuo decore contẽplabor? ò qñ disrumpes, animi mei & corporis fędus, vt ille ab hoc vinculo citius euolans, ad te solum, quem vnice dilexit, & cuius desiderio iã pene cõflagrauit, perueniat? Surgam tandem olim, ab hoc angusto claustro, & perlustrabo immensum tuum Regnũ: vel etiam tu ad meum corporis tabernaculum descendes; & vel saltem per fenestrã, vel saltem per cancellos, aut rimas, quas in corpore meo ferreis cathenis diduxi, me circumspiciens, tuam mihi exeres lucem, tuoq; me dignabere aspectu.

Dum sic cupidine ista multo tempore abhinc exæstuat, Diuina illi reuelatio tandem affulget, non fore diuturnum temporis interstitium, quo de hac miseriæ valle, ad fęlicissimorum spirituum consortium efferẽdus esset, certo pollicetur, anno insequente Diuæ Virginis diem opperiatur: quo illa è sepulchralibus fascijs euoluta, super cęli axes elata est. Futurũ, vt cui se totum viuens deuouerat, ipsius occursu, à morticino hoc educeretur, diduceretur; ad patriam sempiternæ lætitiæ. Bono animo esse iubetur, pro agone & labore, coronam Regni sydeream proxime accepturus. Gaudebat hinc Hyacinthus lætitia inenarrabili, quod certus foret Deum sibi propitiũ: quodq; videret sibi iam, & fugiendum esse ab ijs rebus, quorum fastidium, vitæ illi satietatem afferebat: & migrandum, eo quo iamdudum incredibili ardore festinabat, & eò perueniendum, quo immortales beatorum cętus, illi non oneri, sed æternæ voluptati esse possent. Quam ob rem corpore iam laborib. exhaustus, in morbum incidit, quem mortis esse præcursorem accepit. Nihil ille tunc de consueta viuẽdi norma detraxit: non preces imminuit, nõ aliquid corpori refocillãdo dedit, media nocte matutino officio quotidie interest, quotidie pernox & perdius in Ecclesia sacris operatur mysterijs, & multis alijs summa cũ demissione assistit. Orant Fratres, se contineat cubiculo, concedat aliquã quietem vel fomentum corpori emortuo. Addendum est, ait ille, laboris plus quam antea. Laudabo, ait, Dominum in vita mea, psallam Deo meo, quamdiu fuero. Itaque cum in omni vita, pietatis, religionis, & cultus Diuini studiosissimus fuisset, non prius desistere voluit, quam extremum spiritum edidisset.

CAPVT VIGESIMVM.

Testamentum Sancti Hyacinthi in extrema ægritudine.



MORBO vehementius ingrauescente, dum ex febribus ignis pestifer, intestini continuatione incendij, corporis robur ac vires magis absumeret, in peruigilio Assumptionis Deiparæ Mariæ, vocat omnes Fratres conuentus SS. Trinitatis, mira

ſuæ voluntatis cum Diuina coniunctæ, & ſui ſtudij erga ſacratam Religionem, necnon & amoris erga illos documenta daturus, atq; hæreditario iure relicturus. Adſunt P. Benedictus Prior, P. Boguſlaus Supprior, P. Hieronymus Aedituus, P. Ioannes Zarychius Lector, vnà cum alijs Fratribus, à ſuo nouo Moyſe, vltimæ voluntatis decreta, audituri. Hyacinthus Diui Patris Dominici exemplum ſecutus, monumento ſempiterno, hæc extrema verba, in eorum cordibus inſculpta eſſe voluit.

Dolorem, ait, quem ex meo à vobis receſſu, ò mea viſcera ſuſtinetis, grauem eſſe, non poſſum diffiteri. Patris & Filiorum, quales vos habui, affectum quis neſcit? Concedendum eſt naturæ, iam ætate & laboribus detritæ: eundum, quo me auctor vitæ melioris vocauit. Quod autem, religionem, pietatem & cęleſtium ſtudiũ, ex meo hauſtas pectore virtutes attinet, fateri neceſſe habeo, vos dignos eſſe ſumma laude, dignos & glorioſo laborum fructu. Si tamẽ ſemel à me acceptam viuendi normã, non reliqueritis, vel flagitijs quod abſit, turpiter contaminaueritis. Quã ob rem illud à vobis maiorem in modum requiro, non modo peccatis, verum & occaſionibus peccandi viam præcludite: quinimo ſumma contentione ad virtutem arduam adnitamini, & vbi labor, vel difficultas, vel obex ſeſe veſtro curſui ad cęleſtia obiecerit, non ipſam etiam mortem ſuffugiatis, cauſa religionis & pietatis conceptæ. Magnum eſt ſcio, vos nouellæ inſtitutioni lubenti animo formandos ſubdidiſſe: pręclarius tamen erit, iuxta profeſſam virtutum ideam, omnia improba ſtudia toto conatu peruincere. Vitam autem & ſalutem ob pietatis cultum in apertum periculum offerre, quia ſupremæ conſtantiæ eſt munus, ſummos vobis promerebitur honores. Ob oculos veſtros, delineatã Patriarchæ noſtri Diui Dominici vitam contemplamini. Contemplamini & ampliſſima illa Regni cęleſtis præmia, quæ vobis parata ſunt, hoc ſtudium virtutis, indefeſſo pede decurrentibus. Aſpicientes & in auctorem, & in finem fęliciſſimum, pergite quo cępiſtis animo, ad ſummum ſanctitatis culmẽ. Inter cætera quæ à Patre noſtro relicta accepimus, hæc ego quoq; vobis, in ſempiternum memoriale relinquo: Humilitatem ſeruate, charitatem mutuam habete, paupertatem voluntariam poſſidete, virginitatis & caſtimoniæ decus, illibato corde & corpore cuſtodite: proximorum ſaluti curandæ inuigilate: Religionis nouellæ amplificandæ ſtudio vacate: Chriſtianæ fidei & vnitatis, inter gentes barbaras & peruicaces propagãdæ cauſa, nulli labori vos ſubtrahite: etiam in mortes ab efferatis vobis obiectas, pro Chriſti gloria, proq; animarum pereuntium ſalute, obnixo pectore ite, ruite. Hoc eſt teſtamentum æternæ hæreditatis. Cęterũ quod veſtrum dolorem attinet. Nolite, filij chariſſimi, flere ſuper me. Componite vultum & animum: ad Patrem meum & veſtrum, craſtina die, eodẽ me vocante tranſeo: non ad ſtrictum aut horrendum iudicem. Gaudete potius, & mecũ congratulamini, quod mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.

lucrum. Et hoc quidẽ ingẽs. Pro perituris enim illis & fluxis rebus, quas vel contempsi, vel infracta patientia pertuli, ornaméta verarũ diuitiarũ, affluentissimas bonorũ delicias, sempiternamq; fęlicitatem, nullo vnquã temporis momento dissipandam ingredior. Faustum illum mihi diem, quo mundo nunciũ remisi. Voluptatem ego nunc ingentem capio, quod olim Diui Dominici me disciplinæ dederim: quod asperã & incultam se quutus fuerim virtutis viã: quod ab ea, per Dei gratiã, nulla laborum ma gnitudine, aut acerbitate dolorũ depelli potuerim. Fęlicissimas illas horas, quib. ego in iniurijs patiens, fortis in periculis, diligẽtior in cultu re ligionis; vigilans in mei custodia, inflãmatus in Dei amore extiti. Beatas cathenas, quib. præcinctus, ad verã libertatem euolo: Dissolui iã cupio, & esse cum Christo. Quod si vobis magis quam mihi timetis? æquiore animo estote, mea tantum vestigia impressa sequimini: ego ex isto corporis miserrimo carcere, Diuinæ voluntatis nutu expeditus, cũ ea libertate ac fęlicitate fruar, quã nulla vnquã temporis circumscriptio metietur, ex altissimo cęlorum domicilio, vbi fidei remoto & retracto velo, cũ incredibili gaudio, Deũ præsentem intuebor, tanto melius vobis, qui in terra morabimini potero opitulari, quãnto post obitum cum illo perẽni bonorum fonte coniunctior ero. Interim Benedictio Dei omnipotentis, descẽdat super domum istam, & prouinciam vniuersam, atq; omnes habitantes in ea, & maneat in sempiternum. Deo & eius sacrosanctæ Virgini Matri Mariæ, commendatos vos esse cupio, dulcissimi filij mei. Illachrymatus super eiulantes Fratres, eos ad osculum sacrum admisit. Magno & intolerando dolore discruciabantur Fratres, ex eius futuro obitu: quod viderent, Poloniæ decus, & orbis terrarum clarissimum lumen extingui, terris eripi, cœlestibus reddi. Totum illum diem, & per subsequentem noctem, obseruabant virum Sanctum. Ab eius latere & pedib. nulla ratione se diuelli patiebantur: omnes osculabantur sacratas manus, omnes verbum aliquod salutis ex ipsius ore adhuc audire: nonnulli beneficia à Deo optimo, per eius merita obtinere petebant: quidam pro negligentijs commissis precabantur, vt eis misericordiam Diuinam imploraret, singuli autem circumstantes ex vultu ipsius penduli, quid desideraret, quid vel saltem innueret aduertebant. Pietatem & in patre, & in filiis, tantam cui nullum verbum par inueniri potest, erat videre: dum isti obsequerentur, ille obsequia beneficijs cœlestibus se relaturum spondebat: illi Patrem, & Pater vicissim istos, sese mutuo vtrinq; & complectebantur, & solabantur, & Deo commendabant. Quod autem supererat illi eius diei, à cohortatione Fratrum, toto Diuino cultui, precibusque tum ordinarijs in choro, tum priuatis in secreto impendit, se suosq; Tutelæ Virgineæ, cuius festiuitas instabat, ardentissima oratione insinuans & deuouens.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

Fœlix transitus Sancti Hyacinthi.

IAM media nox, in suo cursu transiens, deditos sæculo homines ad silentium, Religiosos autem ad laudes Deo cantãdas vocabat. Hyacinthus vrgente acerrima infirmitate, iam prope moriturus, nec tunc quidem cubiculo contineri potuit. In Ecclesia perdiu perseuerans etiam matutinis precibus interesse pergit. Prohibent laborantem Fratres, ne illa contentione mortem sibi celerius accersiat, & quibuscunq; verbis morbo intabescentem senem, ad quietem impellunt. At nihil profecerunt, à modica requie, resilijt è lectulo nemine nixus, & ad nocturnas laudes occinẽdas processit. Ijs persolutis, cum morbo magis ac magis premeretur, licet quotidie sacra exomologesi se expiare consuesset, vocat tñ sacerdotẽ, & in Ecclesia, genib. flexis, summo cum dolore, totius vitæ suæ rationem illi reddit. Animo perpurgato, iubet vt ad maiorem templi aram, sacratissimum Sacrificium offerretur. Cui dum astitit, multas lachrymas profudit, partim ex humilitate, indignum se cẽsens, tali Diuina dignatione; partim ex animi ardore, viaticum peregrinationis suę exoptãs, partim ex lætitia interna, quã perfundebatur, ob conceptam spem affuturæ nuncnunc fęlicitatis. Aderat iam instans, quo sanctissimo corporis Christi pabulo refici deberet. Ad aram ille, debilitatus licet morbo fuisset, conscendit. In terram mox prostratus, Deum altipotentem animo & corpore inclini adorat. Oratione Centurionis identidem repetita, Domine non sum dignus, vt sub meũ tectum ingrediare. in lachrymas effusus, tundens senile pectus, Sanctissimum Domini corpus sumpsit viaticum pernecessarium, ad illud iter extremum, in cęlestem patriam conficiendum. Viuo & immortali pane corroboratus, suo vasculo oleum sanctificationis infundi, Ecclesię scilicet Orthodoxæ vnctionem extremã postulauit: & ante gradus altaris, in eadẽ Ecclesia, illo ipso die quo migraturus erat è vita, admirabili mentis & corporis exultatione eandẽ recepit. Recepta, horarias preces diurnas, cum Fratrib. complorantibus, ibidem prout poterat, deuotè recitauit. Diligenter & piè tunc illi omnes fabulabantur, hic Crucem, alter sanctissimæ Deiparæ Virginis imaginem, ante oculos eius tenebat: ille aqua sacrata respergebat vicinum locum, alius Psalmos, orationesq; cæteras ei insinuabat. Cum iam tempus aduenirret, quo reddere deberet illi animam, à quo eam ornandam accepit; in sua cordis & vultus æquabilitate perseuerans, subito se ad Deum conuertens, in Iesum nostrę salutis auctorem & conseruatorem Cruci suffixum, oculos auide defixit, ipsiusq; imagine manu dextera, & altera Beatæ Virginis sinistra manu correpta & exosculata: tametsi eum deficeret spiritus, voces illas retulit: In manus

tuas

tuas Domine commendo spiritum meum. Ac magis & magis obstupescentib. sensibus, hebescente toto corpore, perangustis terrenæ atq; aridæ custodiæ cancellis, Diuina misericordia patefactis, ad lucē sempiternam, & amplissimos, æternoq; verè florentissimos cęlestis beatitudinis hortos, atq; ad Deum ipsum, inexplicabili & perenni dulcedine affluentem, è tenebris emergens euolauit, die Assumptæ Deiparæ, Anno Domini quinquagesimo septimo supra millesimum ducentesimum. Non hic spectra aliqua horribilia, aut furiæ teterrimæ infernalium spirituum, sed cęlestes exercitus, certàtim è cęlis delapsi visi sunt: ad Hyacinthi animā manibus excipiendam, inq; superas sedes efferendam. Adfuit illico Regina Sanctorum omnium Sole speciosior, immenso lumine effulgens, comitata Virginum & aliorum Sanctorū venustissimo cœtu. Adfuit & Sanctus Stanislaus Martyr, Cracouiensis Ecclesiæ Antistes. Beata quidem Virgo Maria, quam ille vnice dilexerat, ad manum sinistram deducebat Hyacinthum, in supernam cœlorum domum: occinentib. Angelis suaue canticum incipiens. Ibo mihi cum Hyacintho ad montem myrrhæ: quā cantionem, cœlestes cantores, nouenis choris prosequebantur. Sanctus verò Stanislaus, & ipse Ioanni Prandothæ successori suo, tunc Diuina ritu solenni in cathedrali Ecclesia celebranti, apparens, Pontificalib. indutus, voce iucunda similiter decantabat. Lux perpetua lucebit Sanctis tuis Domine. & perficientibus Angelis, suauissimum illum concentum, cum magno lucis splendore, gloriosum Hyacinthum, præcedentib. & subsequentib. Beatis spiritibus, ad immortalem gloriam inuexit. Summa hæc Hyacinthi fœlicitas reuelata est, & sanctissimæ cuidam Virgini Bronislauæ, quæ annos totos quadraginta summa integritate in Monasterio vixerat: hæc per visum conspexit, ab Ecclesia Sanctissimæ Trinitatis, in qua diem extremū clauserat Hyacinthus, viam lumine immēso stratā ad vsq; cœlo axem structam esse: qua Diua Virgo Maria, Hyacinthi animā pręhensam ductitabat, ad locum sibi à Remuneratore piorum destinatum. Reuelata & Prandothæ Episcopo iterum, oranti à funere Hyacinthi. Nam obdormiscenti in ea oratione, species Hyacinthi coronati ac redimiti illi obiecta fuit: præter coronam auream gemmis fulgentib. illuminatam, beatitudinis summæ argumentum, gemina serta cœlestib. intexta floribus capite gestatis, quorum alterum Doctoris erat insigne, alterum Virginitatis ornamentum. Vix obierat, & sepulchro illatus fuerat, marmore compressus, duas istas prærogatiuas insignib. prodigijs demonstrare cępit. Qua multorum mentes erroris caligine obrutas, radijs doctrinæ illustrabat: Super sepulchrum eius tres radij frequentes cęlo delapsi, alter ad caput, alter ad pedes, tertius super pectus sepulti Hyacinthi, à plerisq; visebantur. Qua vero in Virgine Dei matre, suspiciebat, adamabat & æmulabatur virginitatem: ex sarcophago suauissimum odorem diffundebat, quem inde effluere multi senserunt ac testati sunt, ad sepul-

Iulius Nigron. è Socie. Iesu.

chrum

chrum procumbentes deprecaturi. Qua autem, fide & charitate fultus, potentiam Diuinam sibi olim in operatione miraculorũ plene communicatam, plurimis editis signis demonstrabat: extemplo post mortẽ omnigenæ vtilitatis admiranda patrare cœpit. Et non vnius generis tantum, vt plurimi Sanctorum, sed omnium fere naturæ casuum, medelam & restaurationem afferre pergit. Contusa membra solidat, confracta reficit, obducit vulnera cicatrice, cæcis lumen restituit, claudos erigit in pedes, cancrum serpentem restringit, paralyticos viuificat, aqueum humorem eijcit, ardores febrium restinguit, sedat caducos morbos, phtisi consumptos restaurat, igne pestilentiali vel colica passione tortos liberat, aquas diluuij depellit, naufragantes liberat, bestiarum domat feritatem, venena corrumpit, molestissimas infirmitates sanat, insanos ferocissimorum dæmonum comprimit motus, morituros à sæuissimæ mortis incursu præseruat: mortuos quoq; è tumulo ad vitam educit. Diem obitum eius anniuersarium, filij mœrentes candido lapillo notarant, in antiquo Martyrologio Leopolieñ. conuentus, quem ipse viuens fundarat, in hæc verba, Anno Domini 1257. in die Assumptionis gloriosæ Dei genitricis Mariæ, hora nona, tempore Domini Prandothæ Episcopi Cracouieñ. obijt sanctæ memoriæ Pater noster F. Hyacinthus; qui fere quadraginta annis, laudabiliter & virtuose, sicut à Beato Patre nostro Dominico didicerat, rexit conuentum Cracouiensem, & totam auxit, morib. & vita prouinciã.

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

Miracula à morte Sancti Hyacinthi.



CERTABANT cum cœlitib. terrigenæ de Hyacintho vita functo; illi quidem vehementius gaudebãt ob adiunctũ sibi nouum socium olim laborum, nunc præmiorum. Hi vero mœrore intolerãdo conficiebantur, ob ereptum sibi Patrem, Doctorem & miseriarum leuamen. Personabant plateæ atq; viæ publicæ, eiulatib. miserorum. O nos, aiebant, orphanos, ò infaustam Poloniam: quis splendore doctrinæ, nostras mentes caligine obfusas collustrabit? Quis iuuabit nos, apud communem omniũ parentem? Quis pro nostris reatibus, misericordiam implorabit Diuinam? O quis tãdem Deus, nobis nostrum nouellum Moysen, pro nostris animab. zelantem, nosq; cum irato iudice reconciliantẽ, è medio nostrũ excidit? Auxit lugubres epicinias istorum, familiæ Zegotarum plangor. Die quo funus S. Hyacinthi curabatur, iuuenis ex stirpe eorum, in platea quæ à S. Floriano nomen tulit, pernicis cursus equo insidens, tãdem furore illius deiectus, pedib. calcatus, & toto contusus corpore, expirauit. Multas lachrymas fuderunt parentes, vbi filium enormi casu extinctũ aspexerunt.

Vigebat tunc in memoria eorum, facinus illud stupendum, quod Vislaũ & Petrum, aquis præfocatos, S.Hyacinthus ad vitam reuocasset. Voluebant animo, misericordiam & potẽtiam Hyacinthi, quod is adhuc inter mortales positus, omnib. viscera patefaciebat amoris, supraq; naturã & mortem imperium tenebat. O si qua te Hyacinthe, ita cõpellebant, tenet cura mortalium, qui iam immortalitatis decus obtinuisti. Si non inanes, prout certissimæ sunt pollicitationes tuæ, ò Hyacinthe, quib. spõdebas: Ego ex isto corporis miserrimo carcere expeditus, ex altissimo cœlorũ domicilio, tanto melius vobis qui in terra morabimini opitulabor, quã to post obitum, cum illo perenni bonorũ fonte coniunctior ero. Si accessione beatissimæ charitatis, in patria cœlesti, non imminuta, sed maximũ in modũ amplificata est tua potestas: succurrite, quia potes, orbitati nostræ. Ingeminatis orationibus, spe maxima in S.Hyacinthũ excitati, collisi iuuenis cadauer, ad sepulchrum eiusdẽ Sancti, recens ipso die sepulti, detulerunt: tumulo, plena cũ fiducia, superimposuerunt, obtestantes per eam quam viuens olim conceperat charitatẽ, ne votis eorũ deesse velit. Quid tum? Quasi post vnius horę interstitiũ, cũctis adspectantib. simulq; vehementer pauentib., & ex pauore mirantib., & ex admiratione lætitiã ingentem percipientib., iuuenis qui erat defunctus, viuus & sanus resurrexit. Nullumq; vestigiũ aut collisionis, aut vulnerum ex contusione, in excitato corpore apparuit. Mirandum erat in Regum historia, quod Helisei cadauer, contactu suo, mortuum iniectum, ad vitam reuocauit: longe hoc magis stupendum censeo Hyacinthi, quãdo ex solius lapidis, non corporis contactu, mortui resurgunt. Quam ob rẽ non ita cœlos intrauit S.Hyacinthus, vt terrigenarum curã abijceret. Animo cõtemplãs, deuotorũ sibi clientum necessitates, adest apud Altissimum intercessor: adest & in terris opitulator. Quod dudum Ecclesiastes de quodã Prophetarum. Pullulant ossa eorum, aiebat, de loco suo. hoc idem de S.Hyacintho verum est dicere. Quippe ad sepulchrũ illius, à morte eiusdem, admiranda facinora: per continuos circiter quadringentos annos, semper patrabantur. Hyacinthus enim (vt Sigismundus I. Polonorum inuictissimus Monarcha, Leoni X. Pont. Max. scripserat) in vita trium mortuorũ suscitator, egregijs factis, & SVPRA HVMANVM CAPTVM DIVINA QVADAM OPE GESTIS, æternitatem meruit. Hyacinthus particeps vitæ Dominici existens, (scribebat Leo X. Cracouiensi & Præmisliensi Episcopo) tã in vita, quam post mortẽ, MVLTIS SEMPER CLARVIT MIRACVLIS. Hyacinthus & dũ in humanis egit (verba Clementis VII. refero) ac tẽpore quo creatori suo spiritum reddidit, ac posteaquã vita functus est, plurimis assidue fulsit miraculis. Hyacinthi Comitis S.Dominici (ita de eo perhibet Sixto V. Pont. Max. Stephanus I. Rex Poloniæ) cõtinuo sanctitas florescit, & mirifice pijs hominibus apud Deum suffragatur, varioq; elucet miraculorum genere.

Eccl. 49.

Elogia in S.Hyacinthum.

Sigismundi I. Regis Polon.

Leonis X. Pont. Max.

Clementis VII. Pont. Max.

Stepha. I. Regis Pol.

Anna Regina. Nihil hic dicam de Annæ pijſſimæ Polonorum Reginæ in Hyacinthum encomijs, quod. ſ. ſplendeſcit in dies ſingulos, huiuſce Diui ſanctimonia, populi pietate miraculiſq; inſignis: quod inde apparet cuiuis, quanti & cuius viri fuerit comes & imitator. Siquidem à D. Dominico Polonus, in Poloniam miſſus, Apoſtoli munus obiuit. *Geor. Radziuili Cardinal.* Præteribo & Cardinalis Radziuili, in Hyacinthum prolatam fidẽ: quod ſcilicet miracula D. Hyacinthi, ſocij olim ac diſcipuli S. Dominici, quib. Dei beneficio claruit, adeo ſtupenda admirandaq; fuere, vt eorum fama, vniuerſam fere Chriſtianorum orbẽ repleuerit. Tacebo & illud, quod Illuſtriſſimus Regni Poloniæ primus Princeps Staniſlaus Archiepiſcop de Hyacĩtho perhibebat. *Staniſlai Carcouij Archiep.* Vitę Hyacinthi Sanctitas, operumq; admirandorũ multitudo & magnitudo, quib. cęleſtis vir ille viuus, mortuuſq; claruit, quæq; non modo à Maiorũ Patrumq; noſtrorũ memoria, ad nos deuenerũt, ſed noſtra etiã ætate quotidie fere perſpiciuntur. Præclarũ eſt illud Petri Myſkouij Cracouienſis Antiſtitis, de eodem Hyacintho teſtimoniũ: *Petri Myſcouij Epiſcopi Cracouien.* quod ſcilicet eo fama Sanctitatis illius, & miraculorũ proceſſit, huius vt ampliſſimi Regni, vicinarũq; nationum finib. non concluſa, vniuerſam Chriſtianã Rẽpublic. peruaſit, & omniũ mortaliũ, qui de illius factis audiuere mentes, ſummã in admirationẽ rapuit. Nec immerito certe, ait. Pauci. n. in ſacrarum literarum monimentis, miraculis claruiſſe leguntur, quæ D. Hyacinthũ feciſſe non modo accepimus, verumetiam ipſimet oculis noſtris conſpeximus. Nam vt ea omittam (ſubiungit idem Antiſtes) quæ illi cũ alijs Sanctiſſimis viris cõmunia fuerunt, quod cæcos illuminauerit, leproſos mundauerit, ſanauerit ægrotos, multaq; alia admiranda miracula, Diuina fretus potentia fecerit: illud modice attingam, quod paucis Sanctis in vita contigiſſe legimus, tres à morte ad vitam reuocauit: vita vero functus, & vſq; nunc, magnis claret miraculis. Addidit Hilarion Rangonius: Inexorabili mortis Voragine, QVINQVAGINTA QVATVOR abſorptos mortales, ad eam diem, qua in Apotheoſim Sanctorum relatus eſt, ſua ope Hyacinthus, vitæ reddidit.

Tempus me deficeret, ſi omnia per eum miracula geſta recenſere pergerem: quem ego quoque indignus, non ſemel de vita priclitatus, primum quidem in morbo à medicis deplorato, & nuper in vorticoſo flumine iamiam demergendus, affuiſſe mihi auxiliatorem perſenſi.

Et in morbo quidem anno Domini 1601. In ardentiſſimã febrim incidi pridie nonas Octob. Cauſa fuit, concuſſio, ex bis ſuſcepto itinere difficillimis anni temporibus in Vrbem, innumeriſq; in ea emenſis laboribus, prouinciæ tuendæ gratia. Regredior ſecundo Cracouiam, ad vltimum Septembris, & ciuitas peſte laborabat. Ad ſupplicationes multorum, die feſto ſolenni Sanctiſſimi Roſarij bis Cõcionem in Eccleſia ago. Sequenti luce, leui febricula, doloreq; capitis, nonnihil me tentari ſentio. Suſpicor peſtem, in ſuggeſto hauſtam. Frequentiſſimus enim Auditor

tor adsistens erat. Suppriorem conuentus consulo. Inconsulto ille medico (nam nullus in ciuitate infecta tunc aderat) profert acriorem quam morbus postulabat medicinam. Antimonium præparatum fuit. Lancinnat me illud desumptum, inq; febrem vehementissimam conijcit. Hinc maior suspicio pestis conceptę innascitur. chirurgus vocatur, qui venam quam primum secat, adest, aperit, sanguinem copiosiorem exhaurit, irritat humores, febrem accendit, quæ ad trimestre me excussit, dolore intolerando lateris dextri adiuncto, suppurabantur interiora. Orationibus Sancti Hyacinthi à febre liberor, ipso die Sanctæ Luciæ. Secundo & iterum recido in morbum grauiorem ex incuria. Multis medicamentis voratis, non sumptis, epotis non libatis, sed frustra, balneum calidius ingredior. Suppuratio hinc lateris resoluitur. Excreare incipio sanguinē grumosum in frusta concretum, noctibus & diebus singulis libras ad minus quinq;, sex. Inde à medica manu desperor, morti iam destinatus: Sextus iam tunc mensis agebatur deciduæ ægritudinis, quo infra paucos dies consumendus eram. Rebantur vel pulmones, vel epar, vi febrium combustum, inq; pus conuersum reiectari, & quia violenter, & in tanta copia, citam fore mortem mihi portendi iudicabant. Et indicio erant, pulsuum ictus, ad brachium fere retracti, frigescensq; totum corpus, frustra ignibus admotis. Iam ergo accingor ad mortem Sacramentis omnibus pro extremo viatico, de more Religionis procuratus. Adsunt Fratres animæ exitum orationibus præcludentes. Votis igitur Diuo Hyacintho, humiliter sponsis, non sine admiratione omnium, qui me languentem inuisebant, à præsentissima morte liberor.

In fluuio vero, anno præsenti 1606. die 15. Februarij. Eorundem prouinciæ Poloniæ negotiorum causa, à Patribus iussus, pergebam ad Vrbē. Prætereo alpes Carniolæ, Foroiulium ingressus, Taruisium propero: Die supra numerata, accedo Anaxum fluuium (Taruisinis Piaue dictum) ningente pluuiosoq; cœlo, partim ex resolutione niuium, partim ex pluuiarum frequentibus aquis redundantem, & in plures ramos dispertitū: nemine ductore ad iter, nullo nauclero ad vadum transeundum reperto, vnà cum socio, transeo alterum & tertium torrentem, fluminis turgentis: quartus trames aderat, latitudine non multum nimia, at aquarū impetu & altitudine superq; excedens. Hortante socio, in Dei nomine committimus nos vndis, equorum fortitudine, nandique eorum peritia freti; dum in medio amne sumus, aquæ increscentes, equum sub me impellunt, rapiuntq;: natare ille cupit, habenas ego, consilij inops restringo, socius iam euaserat: fluctibus equus obruitur, & non nisi extrema capitis ab aquis pandit. ego quoq; equo insidens, deorsum aquis rapientibus trahor. Sancto tandem Hyacintho sæpe sæpius inclamato in subsidium, alterum littus arripio, fioque extra periculum, qui iam periculum præsens sustinebam.

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

Sanctus Hyacinthus in Apotheosim Sanctorum refertur Ecclesiæ ritu solemni, à Summo Pontifice Clemente VIII.



VNQVAM virtuti sua defuere præmia, honoresq; promeriti. Romanis celebre fuit, illos qui Reipublicæ, vel amplificandæ, vel ornandæ causa, præclara aliqua gessissent, vel pietatem iustitiæ iunctam, multiplici ac vario argumentorum genere, exercuissent, encomijs, panegyricis, elogijs attollere, statuas ex Pario lapide, quin & ex argento & auro effictas, piramides præaltas, obeliscos, arcus triumphales eis erigere, perpetuitatique nomina illorum consecrare, & in Concilium Deorum referre. Veri etiam Dei cultoribus, idem semper studium extitit, maiores suos ob virtutem insignes, laudibus ornare, Diuinisque honoribus dignari. Hinc Syracides, Abelem & Enochum innocentiæ ideas, Noe mundi reparatorem, Abrahamum Fidei Parentem, Isaachum obedientiæ exemplar, Iacobum longanimitatis, Iosephum castimoniæ, Moysen mansuetudinis, Phineen iustitiæ, Iosue, Calebum, Samuelem, Dauidem, Eliam, Eliseum, Ezechielem, & alios aliarum virtutum cultores, propter illustria acta, propter innocuam viuendi rationem, propter Diuino quodam ordine conseruatam religionem & sanctitatem, in Album Sanctorum retulit. Fecit & Paulus ille in tertio cœlo excultus disciplinis, qui innumeros Sanctos, ijsdem honoribus, eademque Apotheosi dignatus est. Monebat Sapiens: Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua. Nomina eorum viuant in generatione & generationẽ, Sapientiam ipsorũ narrent populi, & laudem eorum nunciet Ecclesia. Faciebat & semper Ecclesia, ob vitam recte gestis præclaram, vel propter sanguinem pro Christo effusum, Diuinis homines afficiens ornamentis.

Eccl.49. *Hebr.9.*


Non inuidit eandem gloriam Sancto Hyacintho, licet sere, sed maxima cum gratulatione totius orbis, propter vitam ab eodem innocentissime actam, & varijs, atque innumeris prodigijs illustratam, cathalogo Sanctorum qui publice ab Ecclesia coluntur & inuocantur, illum adscribens.

Hæc est vitæ ipsius ratio, à Sanctissimo Clemente Octauo Pontifice Maximo, in Tabulis Apotheosis eiusdem, plus vere, quam ex Tripode, orbi vniuerso denunciata.

Bulla

Bulla Canonizationis Sancti Hyacinthi.

CLEMENS Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.



ENEDICTVS Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui dilectam filij sui sponsam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam perpetua regit prouidentia, atq; his luctuosis tẽporibus multis erumnis & calamitatibus afflictam, multiplici etiam gaudio, ex Sanctorum suorum gloria consolatur. Vere.n.magna existit spiritualis lætitiæ materia, cum Deus illustria seruorum suorũ merita, ideo mundo manifestat: vt dum illis vbiq; terrarum veneratio tribuitur, Deus ipse in Sanctis suis mirabilis prædicetur. Nam cum aliqui serui Dei, excellenti vitæ sanctitate, & miraculis insignes, iam cum Christo in cælo regnantes, in terra quoque, summa Romani Pontificis auctoritate Sancti esse declarantur, Rex ipse sempiternæ maiestatis & gloriæ, in Sanctorum concilio glorificatur: Diuini cultus obseruantia augetur: fidelium pietas & deuotio excitatur: detestandæ hæreses magis magisque conuincuntur: plures populo Dei ad virtutis exemplum & suffragij patrocinium proponuntur, vt quod fideliter petimus, id efficacius multiplicatis intercessoribus consequamur. Quare magna Dei benignitate, ante paucos annos factum est, vt à fel.rec. Sixto Papa V. prædecessore nostro, ex Seraphici Patris Francisci Religione, Beatus Didacus Hispanus in Sanctorum numerum referretur. Et nunc vicissim ex Beatissimi Patriarchæ Dominici disciplina, Beatus Hyacinthus Polonus, Sanctis pariter Christi confessoribus adscribatur. nimirum vt duo clarissimi Ordines, vnde tot pij ac Sancti viri Catholicæ Ecclesiæ lumina prodierunt, nostra quoque ætate, duplicato Christiani populi gaudio, honore consimili augeãtur. & duæ istæ lucernæ, fide & signis mirabilibus luminosæ, & charitate ardentes, supra excelsum candelabrum collocatæ, in domo Dei colluceant. Et nos quidem, cum multis alijs in rebus, tum in hoc etiam Diuinæ gratiæ abundantiam agnoscimus; primum quod nos ipsos Deus, veluti oculatos testes, in hac religiosa causa esse voluerit. Nam cum ex numero essemus Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.Ecclesiæ Cardinalium, & Apostolicæ Sedis de Latere Legatione in Polonia fungerentur, vidimus Cracouiæ insigni loco sepulchrum Beati Hyacinthi, in quo venerandum illius corpus, in somno pacis requiescit. & Regni illius erga hunc Beatum virum singularem deuotionem perspeximus. Deinde etiam in eo diuitias bonitatis Dei prædicamus, quod ita disposuit, vt hoc pium & salutare Canonizationis Beati Hyacinthi negotium, ante annos quinq; & septuaginta, religiosis Poloniæ Regibus, Regnique Ordinibus supplicantibus inchoatum, & à pluribus Rom.Pont. prædecessoribus nostris, varijs progreßionibus promotum, tandem qui nostræ humilitatis ministerium; qui Poloniæ Regnum peculiari paternæ dilectionis affectu cõplectimur, omni ex parte absolueretur;

Anno siquidem humanæ salutis M.D.XVIII. fæl. rec. Leo Papa X. prædecessor noster, supplicationibus rec. me. Sigismundi Primi Poloniæ Regis, tunc in humanis agentis, de Beato Hyacintho Polono Ordinis Fratrum Prædicatorum, fidei integritate, morum sanctimonia, & miraculorum fama, in vniuerso Poloniæ Regno percelebri, in Sanctorū numero referendo, inclinatus. bo: mem. Ioanni Episcopo Laodicensi, & Iacobo Canonico Cracouiensi, vt in eius vitam & miracula diligenter inquirerent, suis quibusdam literis mandauit. Qui pro suo Apostolicæ Sedi obtemperandi studio, vniuersæ illius vitæ & miraculorum rationes in Acta retulerunt, eaque anno etiam Domini M.D.XXI. Leone prædecessore prædicto vita functo, ad piæ memoriæ Clementem Papam Septimum, etiam prædecessorem nostrum transmiserunt. Quibus quidem actis diligenter perspectis, ac etiam ipsius Sigismundi Regis supplicationibus, idem Clemens prædecessor adductus, dum de tota re maturè decerneret, Fratribus Ordinis Prædicatorū dicti Regni, vt postridie Festiuitatis Assumptionis Beatissimæ Dei Genitrcis Virginis Mariæ, Solennitatem atq; Officium, ac Sacrosanctum Missæ sacrificium, in eiusdem Beati Hyacinthi honorem celebrare, atque etiam imagines & Altaria illi, in omnibus Ecclesijs domorum suarum præfati Ordinis statuere possent, concessit. Et deinde prædicto Sigismundo Rege, id etiam postulante, eandem concessionem, ad omnes dicti Regni Cathedrales Ecclesias, quoadusque ad canonizationem dicti Beati Hyacinthi deuentum esset extendit. Cæterum, consilio de Canonizatione huiusmodi, ob quasdam tunc obortas difficultates, per id tempus intermisso, anno similiter Domini M.D.XXXIX. tunc existentes Præsules eiusdem Regni in Synodo Petricouiensi per eos celebrata congregati, vnanimi consensu, dicto Clemente prædecessore defuncto, per literas Sanctæ mem. Paulo Papæ Tertio, similiter prædecessori nostro supplicarunt, vt ad huiusmodi Canonizationem perficiendam, suam & dictæ Sedis auctoritatem impertiretur. Quorum supplicationi, idem prædecessor annuens, tribus Venerabilibus Fratribus suis S. R. E. Cardinalibus, Ordinum Prioribus, negotium Canonizationis huiusmodi rursus examinandum commisit. qui & ipsi, pro aßiduis Sigismundi Regis, necnon Prioris Prouincialis dicti Ordinis in prædicto Regno tunc deputati supplicationibus, quibus nempe id petebant, vt in ipsius Hyacinthi fidei synceritatem, vitæ sanctitatem, & miraculorum, quorum indies in dicto Regno fama augebatur, excellentiam, diligenter iterum inquireretur, ad quosdam ipsius Regni probatos viros, hoc negotium detulerunt. Qui concessionibus Apostolicis super ea re factis, alijsque omnibus quæ ad Canonizationem prædictam pertinebāt, attentè consideratis, singula maturè examinata, in publica documenta redegerunt. deniquesumma fide collecta, ad dictam Sedem transmiserunt. Postmodum idem Paulus prædecessor, Fratribus dicti Ordinis eiusdem Regni etiam concessit, vt ipsi officium de dicto Beato Hyacintho, singulis quintis ferijs, in quas nullum Festum proprium incideret, perinde ac si esset in Sanctorum numerum relatus, quemadmodum de S. Dominico singulis ferijs tertijs fieri solet recitare,

ac

ac illius ossa & corpus exhumare, ipsumque in sublimiorem locum Ecclesiæ transferre possent. Postmodum labente anno Domini M.D.LXXXIII. claræ mem. Stephani Poloniæ Regis, de eadem Canonizatione apud fel. rec. Gregorium Papam XIII. pariter prædecessorem nostrũ, dum in humanis ageret supplicatione intercedente; ac interea illo vita functo, Charissimi in Christo Filij nostri Sigismundi Tertij Poloniæ Regis, ac Charissimæ etiam in Christo Filiæ nostræ, Annæ Poloniæ Reginæ, necnon dilectorum Filiorum nostrorum, tunc suorum Georgij tit. S. Sixti de Radziuil. & Andreæ de Somlio tit. S. Angeli in Piscina, Battorij nuncupatorum Cardinalium, & Venerabilium Fratrum nostrorum Archiepiscoporum & Episcoporum, cæterorumq; totius Regni prædicti Ordinum status, tam Ecclesiastici quam sæcularis votis ac precibus, à fel. rec. Sixto Papa Quinto, etiã prædecessore nostro, per dilectos filios Stanislaum Rescium, eiusdem Sigismundi Regis apud eundem Sixtum Internuncium, necnon Fratrem Hyppolitum Mariam Beccaria de monte Regali, Magistrum Generalem totius Ordinis Prædicatorum, ac eius nomine Fratrem Bartholomeum de Miranda, tũc Procuratorem Generalem eiusdem Ordinis, ac demum Fratrem Seuerinum Cracouiensem, eiusdem causæ, nomine Prouinciæ & Regni Poloniæ, ad id constitutum Procuratorem supplicatum fuit, vt ipse eundem Beatum Hyacinthum pro sanctitatis suæ fama, quam miraculorum accessio, in dies magis magisque confirmabat, in Sanctorum numerum, veteri Ecclesiæ Romanæ ritu, & præscripta solẽnitate cooptaret. Idem vero Sixtus, prædictum processum, super huiusmodi re confectum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum, tunc suorum S.R.E. Cardinalium super Sacris ritibus deputatorum examinandum commisit. Coram quibus, idem Sigismundus Rex, & vniuersi Regni prædicti Status Ecclesiastici, necnon ipsius Ordinis Prædicatorum Religionis professores, nonnulla Scripturarum ac iurium volumina, duoque processus super ea re formati exempla protulerunt. Vnum videlicet, è fel. rec. Pauli Papæ Quarti, etiam prædecessoris nostri, qui vnus ex tribus Cardinalibus in Ordine Prioribus, à prædicto Paulo prædecessore, ad id deputatus fuerat, scripturarum monumentis depromptum: alterum vero ex ipso Regno, simul cum libro, tum vetustatis auctoritate, tum vitæ ac miraculorum eiusdem Beati Hyacinthi diligenti expositione probato, allatum. eo quidẽ illud ad fidem propositis de rebus faciendam firmius, quod esset præstantium virorum literis obsignatum, & longo annorum spatio, in Archiuio Cracouiensi eiusdem Ordinis Prædicatorum, tanta cum fidei laude asseruatum, vt illo tanquam certi testis opera, summæ auctoritatis homines, semper dubijs in rebus vterẽtur. Cuius rei fidem, vel hoc ipsum augebat, quod alterum alteri, tum rebus, tum sententijs omnibus, tam apte respondebat, vt nihil, vel similius, vel congruentius excogitari posse videretur. Quæ quidem vniuersa, citato Fisci Procuratore recognita fuerunt. Idem porro Sixtus Prædecessor, Tribus causarum Palatij Auditoribus, doctrina & vsu rerum præstantibus, ad hoc nominatim deputatis mandauit, vt de ijsdem illis iuribus, ac processus exemplis cognoscerent, & Conclusiones

clusiones

clusiones inde pro more colligerent. Qua in re, cum diu multamque illi operam suam exercuissent, eodem Sixto, sicut Domino placuit, viam vniuersæ carnis ingresso, fæl. rec. Gregorio Papæ XIIII. prædecessori etiam nostro retulerunt, producta iura plenissima esse fidei, atque auctoritatis, processumque omnem ad Canonum præscripta fuisse confectum, atque ex eo Beati Hyacinthi, Fidei integritatem, vitæ sanctitatem, & miraculorum, ex quibus octo potissimum consideranda proposuerant, claritatem, manifeste ducere. Qua quidem re, ad Venerabilium etiam Fratrum suorum S.R.E. Cardinalium, super Sacris ritibus tunc deputatorum Congregationem, vt & ipsi, quid de ea re sentirent, in medium afferrent, eiusdem Gregorij iussu remissa; ijdem Cardinales attente examinatis, allatarum à prædictis causarum Auditoribus, conclusionum argumentis, ac Fisci Procuratore semper citato atque audito, seruatisque etiam seruandis, vnanimi consensu eorundem Auditorum, super Scripturis, iuribus, & processus exemplis exhibitis, relationem approbarunt, & rationes quibus de illius Fide, vita & miraculis constaret, longe firmissimas esse iudicarunt. Accessit denique recens, & æquitatis, ac pietatis plena postulatio, eiusdem Sigismundi Tertij Regis, qui etiam Suetiæ Rex existit, quique Legationis nobis, ac Sedi Apostolicæ obedientiæ præstandæ causa, Dilecto Filio insigni viro Stanislao Minski Palatino Lenciciensi, apud nos, & dictam Sedem Oratori suo, nuper delata, nihil eum vehementius à nobis hoc tempore flagitare iussit, quam vt negotium istud, ad optatum tandem, & suis atque Christi fidelium eiusdem Regni Poloniæ supplicationib. consentientē exitum perducamus. Cuius quidem Beati Hyacinthi, vitę omnis ac rerum, quas Deus eiusdem tum viuentis tum defuncti intercessione ac meritis gessit, narrationem hoc loco pro nostro munere toti Ecclesiæ proponendam duximus. vt inde non solum ad Diuinas laudes prædicandas, atque ad Christianam Religionem, firmiore pietatis zelo conseruandam Christi fidelium animi excitentur: verumetiam, eo nomine ingentes gratiæ ab omnibus Christi fidelibus Deo agantur. quod Beati Hyacinthi prædicti sanctitatem, quanquam grauibus de causis antea probatam, & multis miraculis illustrem, Publica tamen ipsius Apostolicæ Sedis, quam Spiritus sanctus regit & gubernat, ac nostra sententia, omnino confirmari hoc tempore voluerit.

NATVS igitur est B. HYACINTHVS in Polonia, in villa quæ Camiensis appellatur, Vratislauiensis Diœcesis, ante annum Domini, Millesimum ducentesimum, ex Nobilibus, & Christianis parentibus. Sed quibus vitæ, virtutum, ac miraculorum splendore, longe ipse perluxerit.

Ineuntis ætatis tempus, ijs primum literis, quibus ætas illa informari solet, impertiuit. in quibus, cum tantum profecisset, quantum ad altiorem disciplinam capessendam, satis sibi esse videbatur, animum statim ad Theologiæ & Iuris Canonici studia adiunxit. magno sane & admirabili cum fructu, vt qui non multo post Cracouiensis Ecclesiæ Canonicus factus, ita inter Ordinis sui viros excelluerit, vt propter eximiam eruditionem, cum præclara & insigni

pietate

pietate coniunctam, tanquam ardens lucerna, cæteros clarißimo virtutum suarum lumine collustraret.

Ab Iuone deinde Cracouiensi Episcopo Patruo suo Romam perductus est. vbi vna cum Ceslao ipsius consanguineo, & Hermanno Theutonico familiari suo, à S. Dominico Romæ tunc degente, eiusdem Iuonis rogatu, qui de Hyacintho ac duobus alijs regularis vitæ suæ instituto imbuendis, cum ipso egerat; perexiguo tempore, omni illius disciplina egregie instructus, in eiusdem Sancti Dominici Ordinem nomen dedit, habituque de manibus illius suscepto, & expresse illius Regulam professus in Poloniam tandem cum socijs rediјt. Quo in itinere, cum vsq; ad Ciuitatem Trisacensem permisisset, verbo simul & exemplo, tantum illic profuit, vt ipsis sex mensibus Monasterium dicti Ordinis, multis ibidem Fratribus, & Hermanno illis Præposito, relictis construxerit.

Inde Cracouiam reuersus, alio ibi eiusdem Ordinis monasterio erecto, Dominicanæ Religionis crescentem paulatim Familiã propagauit. Mox ad aliarum eiusdem Poloniæ Regni Prouinciarum salutem cogitatione conuersa, quatuorq; alijs professionis suæ monasterijs, varijs in locis ædificatis, omnes, tũ verbi Dei prædicatione, tum vitæ suæ innocentia, in sui admirationem excitauit.

Summa denique hæc est: quam à S. Dominico eiusdem Religiosi instituti Auctore, tanquam è purissimo fonte hauserat viuẽdi rationem; eandem ipsum, ad extremum vsque vitæ diem, sanctè & religiosè seruasse. Nam siue Christianæ humilitatis species ante oculos proponatur; eo nihil erat demißius, nihil modestius, siue castitatis ac virginei pudoris imago pulcherrima desideretur, illo nihil purius, nihil candidius fuit. Si denique veræ in Deum & proximos charitatis forma exquiratur; illius charitate, nihil potuit absolutius, nihil perfectius exoptari.

Quanta porro in corpore castigando, vtque ad seruitutem redigendo illius fuerit seueritatis; singulæ noctes inditio fuerunt, quibus sese, vsque ad sanguinis profusionem affligebat. Qua vero continẽtia & moderatione, in victu omni fuerit; præter ferias sextas, Beatissimæ etiam Dei Matris Mariæ Virginis, & Sanctorum Apostolorum vigiliæ, ad vnam omnes declarant, quibus excepto pane & aqua, nihil omnino gustabat. Diuini autem Numinis propitiandi tanta cura, tantaque solicitudine tenebatur, vt totas noctes in Templo fundendis ad Deum precibus insomnis persæpe consumeret. Et si quando inedia ac sopore fessis, & cadentibus membris, somnum capere cogebatur; aut stans, lapidi tantum Altaris innixus, aut iacens, humi scilicet prostratus quiescebat.

Et quoniam nihil magis quam otium, homini præsertim Religioso vitãdum esse sentiebat: idcirco quicquid temporis vacuum illi ab Oratione supererat, id omne, partim colendis Sacris studijs, partim habẽdis Concionibus, partim confeßionibus audiendis, partim etiam ægrotis inuisendis, partim denique Deo & proximis seruiendo impendebat. Cuius quidem singularem susceptæ vitę rationem, qua Cælestis potius, quam humanus vir merito reputabatur, frequens multorum, qui se eius precibus & orationi commendabat, ad eum concursus, atque

Miracula S. Hyacinthi. adeò noua indies rerum ab eo gestarum præstantia, & pleraq; miracula, minime obscura declarãt. In quibus, vt cætera quæ innumera prope sunt omittamus, cuiusdam Petri ex villa Possouij oriundi, resuscitatio proponenda primum occurrit, quem rapidi fluminis impetu ex equo deiectũ, & in aquis omnino submersum, cum eius corpus altero die iam latens, inexpectato ex ipso flumine prodijsset, Deus ob merita & preces eiusdem Beati Hyacinthi, statim ad vitam reuocauit.

1\.

2\. Eiusdem quoq; sanctimoniam, mulier quædam Iudith nomine egregiè ostendit, quam cum paralysis morbi vis elinguem prorsus ac mutam reddidisset, nullaque ratione vocem emittere vllam posset, tandem Beati viri intercessione assequuta est, vt lingua & sermone liberè vteretur.

3\. Prædicandi autem Euangelij causa, cum ad varia passim loca se conferret; ac propterea ad Vandalum flumen, Vissogradum Massoniæ vrbem, redundantibus aquis præterfluens, aliquando peruenisset; nullo Nauclero, nulloque nauigio, quo trans amnem veheretur ad illius ripas conspecto, Diuina ope implorata, & Crucis signo communitus, comites ad iter per medios fluctus alacriter prosequendum, hortari hunc in modum cœpit. Eia, inquit, Filij. Sequimini vestigia mea in nomine Christi. Quo dicto, statim in flumen, siccis vestigijs se immisit. Verum socijs, præeuntem illum sequi metuentibus, extenso pallio aquam tegens. Agite, inquit, Filij charissimi. Sit iste nobis pons Iesu Christi, per quem in nomine eius transeamus. Itaque flumen illud altissimum simul ac rapidissimum, vna cum socijs incolumis traiecit.

4\. Quodam tempore etiam, cum per agros villæ cuiusdam, Diœcesis Craconiensis, inopum ac pauperrimorum hominum segetes, iniuria grandinis læsas passim ac disiectas videret, non prius sibi ab Oratione temperauit, quam easdem incolis, intactas atque integras reddidisset.

Longum esset cæteras res ab eo, dum vixit gestas percensere, vt cui toto vitæ cursu nullus vnquam dies effluxerit, quo non præclara aliqua ediderit, Fidei, pietatis, innocentiæ, cæterarum omnium Sacrarum virtutum documenta. Quo quidem vitæ genere, ad quadraginta propemodum annos perducto, cum tandem cuperet dissolui, & esse cum Christo, in vigilia festiuitatis Assumptionis Beatissimæ Dei Genitricis ac Virginis Mariæ, Fratribus Monasterij Sanctissimæ Trinitatis Craconiensis accersitis, moriturũ sese definito die prædixit: eosq; appropinquantis sui discessus nuncio perculsos, amantissime consolatus, valere in Christo, Deumque in vita perpetuo timere iussit. Postridie igitur, pijs ac Canonicis precibus recitatis, & Sacrosanctis Sacramentis Ecclesiæ, summa cum veneratione perceptis, cum versum illum, extremo iam vitæ spiritu pertulisset, In manus tuas Domine commendo spiritum meum, in Domino obdormiuit, eiusdem Domini Anno M.CC.LVII. die XV. mensis Augusti.

Audita eius morte, cum magna multitudo hominum, siue prosequendi funeris, siue contingendi corporis, siue per eum Diuini auxilij expetendi causa, siue alio Christianæ pietatis officio, ad Sanctissimæ Trinitatis Monasterium eiusdem

eiusdem Ordinis Prædicatorum, sepulchro ipsius religiosum ac celebre confluxisset; Deus in cuius conspectu, gloriosa est mors Sanctorũ eius, Zegotam quendam nobilem Polonum, qui ex equo, quem forte agitabat, miserrime excussus, effractis & contusis totius corporis membris statim obierat, ad Beati Hyacinthi sepulchrum, eo ipso quo mortuus est die, à parentibus allatum, ob eiusdem Beati Hyacinthi merita, & preces, non solum in vitam denuo excitauit, verumetiam pristinæ & valetudini, & integritati ita restituit, vt in eo, ne minimæ quidem læsionis reliquum vllum vestigium appareret. Cuius miraculi famam, alterius etiam exitus auxit. Infantulus enim, quem mater mortuum ediderat, à Patre, ad Beati viri tumulum translatus, cum primum is pro filiolo, voto se Deo piè obstrinxit, magna cum omnium admiratione viuere statim cœpit. 5. *Post mortem circa funus.* 6.

Accessit illud quoque admirabile ipsius in Vrsulam quandam factum. Quæ cum maximis deplorati morbi doloribus toto biennio iactata, eo tandem deuenisset, vt omnis melioris valetudinis spe abiecta, ipsos iam menses duos, nullo amplius cibo, sed aqua duntaxat vitam tueretur; Agneta tandem filia, Beati Hyacinthi opem suppliciter implorante, optatam salutem recuperauit. 7.

Postremo cuiusdã Barbaræ Cracouiensis fœminæ, quæ ex partu in hydropisim inciderat, ita vt iam de illius salute, ab omnibus esset desperata valetudo, nulla prorsus humana medicina, sed vnius Beati Hyacinthi, cui sese commendauerat, pietate ac meritis redintegrata, eximiam serui Dei sanctitatem clarè confirmauit. 8.

Quibus sane signis, multisq; alijs ad eandem Beati Hyacinthi sanctitatem apertè comprobandam pertinentibus rebus adducti; ac præterea constanti omnium Ordinum dicti Regni, & eiusdem Sigismundi Tertij Regis, ac Dominicanæ Religionis petitioni satisfacere cupientes: cum id maxime, idem Sigismundus Rex, per prædictum Stanislaum Minsky, suum apud nos Oratorem, ipse vero Dominicanus Ordo, per dilectum filium, Fratrem Ioannem Vincentium Astaricẽsem, eiusdem Ordinis Procuratorem Generalem à nobis postulauit. vt quoniam, quæcunque ad Acta & processum Beati Hyacinthi spectabant, ex huius Sanctæ Sedis præscripto expedita ac perfecta erant: Nos, quibus ea de re statuendi potestas à Deo est tributa, ad huiusmodi negotium definiendum, omnes auctoritatis Sanctæ Sedis Apostolicæ & nostræ partes conferremus, de eo ipso, non prius tamen quam rebus omnibus diligenter, vt par est, circumspectis, hoc tempore nobis decernendum esse existimauimus. Crebris igitur ac diuturnis supradictorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationis Sacrorum Rituum cõsultationibus, hac ipsa de re, etiam nostro tempore habitis, & processu omni ex Sacrorum Canonum præscripto, ab eisdem viso & examinato. quinetiam viris in Sacra Theologia ac Põtificio iure versatis, in consilium adhibitis; cum nihil iam desiderari videretur secretum Consistorium indiximus. In quo Venerabilis Frater noster Alphonsus Episcopus Hostiensis, Cardinalis Gesualdus, cum suo & cæterorum Cardinalium Sacrorum rituum nomine, omnia ad eam rem spectantia, exactè ac prudenter ex-

plicasset, id demum in summa retulit. De Beati Hyacinthi Fide, vita ac miraculis, se & Cardinales Collegas suos sentire, omnia probata esse, quæ ad Canonizationem, ex Diuini iuris præscripto pertinerent, eamque ob causam posse Beatum illum (si idem nobis videretur) in Sanctorum numerum cooptari.

Qua quidem re intellecta, vehementer in Domino lętati sumus, quod ad augendam serui sui dignitatem, facultas nobis hoc tempore offerretur. Nullam igitur officij partem, ad peragendum tanti momenti negotium prætermittendam nobis esse censentes: veteri Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum exemplo adducti, mandauimus, vt de re ad exitum perducenda, pro ipsius grauitate diutius deliberaretur. Itaque aliquot dierũ spatio interiecto, Publicum Cõsistorium hanc ob rem indiximus, non modo Venerabiliũ Fratrum nostrorũ S.R.E. Cardinalium consensu, sed etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum & Prælatorum cæterorumque familiarium nostrorum Conuentu frequens.

In quo quidem Dilectus filius, Cynus Campanus Consistorialis Aulæ nostræ Aduocatus, res gestas & Beati Hyacinthi virtutes, Fidei ipsius sinceritatem, vitę sanctitatem ac miracula, oratione de more est complexus. ac deinde eiusdem Sigismundi Tertij Regis, totiusque Poloniæ Regni ac Religionis Dominicanæ nomine, vt ipsum in Sanctorum numerum referremus, suppliciter a nobis postulauit. Quod cum præsentes ipsi audiuissemus: dictum Sigismundum Regem, cui nũc maxima duorum præstantium Regnorum moles incumbit, ideo de Beato Hyacintho inter Sanctos aggregando incredibiliter laborare, vt nimirum noua sibi suisq; Regnis firma apud Deum intercessionis patrocinia cõpararet. Itaq; respondimus in tam sollicita, tanquam constanti, Optimi ac Pijssimi Regis postulatione, inesse eximæ illius Religionis significationẽ, haud animi sui virtute alienam; neq; indignam præstanti eius Diuini cultus amplificandi desiderio. Diximus etiam, permagnæ nobis esse voluptati, eoq; animum nostrum ad gratias Deo agendas vehementer excitari, quod quibus seruis sempiternæ beatitudinis præmia iamdiu in cęlis sunt tributa, eosdem etiam in terris ab hominibus coli velit Deus. vt Christi fideles vel illorum intercessione cælestia auxilia facilius promereantur: vel eorum imitatione expeditius, ad cælestem, qua ipsi iam perfruuntur, gloriam perducantur. Summa denique responsionis nostræ hæc fuit, nobis quidem esse constitutum, grauissimæ petitioni illius non deesse; causæ tamen magnitudinem obstare, quo minus in summa ipsius, totiusque sui Poloniæ Regni voluntates res ipsa a nobis adhuc præstari possit: vt quibus eadem de re cum venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, & cæteris Episcopis diligenter tractandum esset. Quo circa eosdem Cardinales & Episcopos etiam atque etiam monuimus, vt non solum quæcunque hac ipsa in causa versarentur, omni studio adhibito examinarent, verum etiam coniunctis precibus Deum deprecarentur, vt mentibus nostris lucem præferret, adeo demum agenda, quibus Diuinæ illius gloriæ amplitudo, & totius Ecclesiæ vtilitas augeretur. Hisce deinde perfectis rebus, Consistorium secretum

rursus

rursus indiximus; in quo etiam Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, qui tunc in vrbe erant, ac nostri & Sedis Apostolicæ Notarij, & Sacri Palatij Auditores, mandato nostro vocati adfuerunt. Tunc igitur nos pro nostra & Sanctæ huius Sedis, in qua à Deo collocati sumus, auctoritate & potestate, & pro singulari Spiritus sancti in eandem Sedem, cuius ipsa infallibili sapientia gubernatur, præsidio, ea diximus, quæ ad rem propositam, atque ad illius temporis rationem, imprimis accōmodata esse videbātur. Postremo, cum eisdem Cardinalibus, cæterisque Episcopis egimus, vt præcise responderent, Vtrum ex processu, & ex rebus in eo comprehensis ac probatis, Beatus Hyacinthus Canonizandus videretur. Ac primū quidem ijdem Cardinales, deinde & Patriarchæ, ac deinceps Archiepiscopi & Episcopi, suo quisq; ordine, concordibus sententijs censuerūt; Beatum Hyacinthū, ex rebus, quibus omnis illius vitæ processus cōstat à nobis optimo iure, Sanctorū numero esse adscribendū. Itaq; quod vnum iam restabat ex talibus, tamquam inter se consentientibus suffragijs, Deo bonorū omnium Auctori gratias agentes, ac læti, rerum tot ab hinc annis cæptarum fælici successu, diem Canonizationis præfiximus, ad Decimum Quintum Calēdas Maias, Dominicam scilicet in Albis. cum nimirum Paschalis solemnitas Festiuitate concluditur, nouella germina sanctitatis regenerātur, Neophitorum habitus immutatur, Paschales denique, idest, Indulgentiæ ac remissionis dies celebrantur. vt tot tantisque cælestibus præsidijs adiuti, melius ac facilius nostro munere fungeremur. Vrbe igitur ipsa Dominica in Albis, hodiernus scilicet dies illuxit, nos & ijdem Cardinales, necnon Patriarchæ, Archiepiscopi & Episcopi, qui in Capellam nostrā Pontificiam nobiscum ad id conuenerant, sacris vestibus induti, hymno, Aue maris stella, ad honorem Beatiss. Virginis Marię, cuius opem tunc maxime inuocandam duximus, inchoato, eodemq; illo ab eiusdem Capellæ nostræ Cantoribus ad finem vsque deinceps decantato, alijsque etiam Romanæ Curiæ Prælatis & officialibus, familiaribusque nostris, vna cum cæteris totius Ecclesiastici Sæcularis & Regularis ordinis viris, longo pioque ordine præeuntibus, omnes cum ardentibus cereis, ad illius gloriam, qui sua luce & splendore Cælos, ex Palatio nostro Apostolico summa cum celebritate processimus; ad Basilicam Principis Apostolorum, tunc magno vndique ornamentorum apparatu instructam; adeo vt singularis lætitiæ specimen omni ex parte præseferret. Suggestus enim, loci amplitudine insignis eiusdem Regis, & Dominicani Ordinis impēsis extructus ibi primum eminebat, in quo Altare ad Sacrosanctum Missæ sacrificium solemni ritu a nobis celebrandum, è regione erectum cernebatur. Templi deinde parietes insignibus Aulæis, auro & bombyce intertextis obtecti erant. Omnis præterea interioris Basilicæ ambitus, accensis vndique cereorum flammis collucebat. denique suspensa de tholo ac trabibus vexilla Beati Hyacinthi Sanctissimam Dei Genitricem Mariam Virginem flexis genibus venerantis effigiem spectandam proponebant. Nos igitur in eam Basilicam magna omnium Ordinum frequentia ingressi, atque in ea supernæ & Beatæ vrbis Hierusalem quasi sub aspectu positam pulchritudinem

chritudinem

thritudinem intuentes, in suggestum primum, ac deinde orandi causa ad Altare, ac postremo, ad Throni, ibidem vt moris est ad dextrum latus erecti Sedem peruenimus. vbi eosdem Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, cum Sacris vestibus obedientiam nobis præstantes excepimus.

Tum idem Stanislaus, præfati Sigismundi Regis Orator, semel, iterum ac tertio postulauit, vt Beatum Hyacinthum in Sanctorum numerum referremus. Nos ad singulas ipsius petitiones, Litanijs ac Sacris Hymnis per tria distincta interualla recitatis preces adiunximus. Denique omnibus rite ac piè peractis, quę hac in re alij Romani Pontifices prędecessores nostri seruāda esse statuerūt, Sanctoque Spiritu, cuius Diuino numine Ecclesiæ afflata nunquam fallitur, multis cum precibus inuocato.

Decretum Canoniz. S.Hyacinthi.

Ad honorem Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ, ac Christianæ Religionis augmentum, Auctoritate eiusdem Dei Omnipotentis, Patris & Filij, & Spiritus sancti; Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli & Nostra, de Fratrum nostrorum Cōsilio, decreuimus & definiuimus bo. mem. Hyacinthum Polonum Ordinis Fratrum Prædicatorum, Sanctum esse, ac Sanctorum Cathalogo adscribendum. Sicut per præsentes definimus, decernimus & adscribimus. Statuentes vt ab vniuersali Ecclesia anno quolibet, in die XVI. Augusti, Festum ipsius, & Officium, sicut pro vno Sancto Confessore non Pontifice ad formam in rubricis Rom. Breuiarij præscriptam deuotè & solemniter celebretur.

Insuper eadem authoritate, omnibus verè pęnitentibus & Confessis, qui annis singulis, eodem die Festo ad sepulturam in qua eius corpus requiescit, deuote accesserint, necnon Ecclesias & Altaria in ipsius honorem constructa deuote visitauerint, easdem indulgentias & peccatorum remissiones concessimus, & clargiti sumus, quemadmodum concedimus & elargimur, quæ cæteris dicti Ordinis Monasterijs & Ecclesijs, in diebus festis eiusdem Ordinis Sanctorum iam concessæ sunt.

Quibus rebus ad S. Hyacinthi Canonizationē necessarijs absolutis, & hymno ad laudem Dei & gratiarum actionem decātato, ac Diuina ope per eiusdem Sancti viri intercessionem deuota ac pia precatione, quam ipsi recitauimus implorata, tandem eodem in suggestu & Altari Missam solemnem de Octaua Dominicæ Resurrectionis, cum eiusdem Sancti Hyacinthi commemoratione celebrauimus. & omnibus Christi fidelibus qui huic Canonizationi & Missę interfuerant, ad laudem Dei, & Sancti sui gloriam, plenariam peccatorum suorum indulgentiam concessimus. Quocirca omnes Iesum Christum Dominum nostrum collaudemus, agnoscamusque, summa eius bonitate euenisse, vt in hoc perturbato rerum statu, noui apud Deū intercessoris meritis ac precibus adiuuari valeamus. magno quidem illud esse debet ad bene sperandum omnibus argumento, quod rem à tot Poloniæ Regibus, ipsisque Regni Ordinibus, iamdiu expetitam, communibus piorum ac religiosorum hominum votis vbiq; optatam, à plerisque etiam Romanis Pontificibus prędecessoribus nostris suscep am, hoc

tempore

tempore perficiendi facultatem nobis tribuerit. Itaque Deum in Sanctis suis mirabilem deprecemur, vt Sancto Hyacintho suffragante Ecclesiæ suæ pacem & tranquillitatem, Regibus, & Principibus Christianis vnionem, obcæcatis hæreticis Catholicæ veritatis viam ostendat, miseris infidelibus Christiani nominis hostibus Orthodoxæ Fidei lucem largiatur. Cæterum quia nimis difficile foret præsentes nostras originales literas ad singula loca, vti opus esset deferri, volumus vt earum transumptis, etiam impressis, manu Publici Notarij subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem vbique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus, si exhibitæ & ostensæ essent haberetur. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam, nostrorum Decreti, Definitionis, Ascriptionis, Mandati, Statuti, Concessionis, elargitionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ. Millesimo Quingentesimo Nonagesimo Quarto. XV. Cal. Maij. Pontif. nostri Anno Tertio.

Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

PROTECTOR NOSTER ASPICE DEVS.
Sanctus Petrus — Sanctus Paulus
Clemens Papa VIII.

† Ego Alphonsus Epis. Hostien. Card. Gesualdus.
† Ego Innicus Episc. Portuen. Car. de Arragona.
† Ego M. Antonius Episc. Prænest. Car. Columna.
† Ego Ptolomeus Epis. Tusculanus Card. Comen.
† Ego Gabriel Epis. Sab Car. Palæotus.
† Ego F. Michael Epis. Albanen. Card. Alexandrinus.
† — — — — —
† Ego Iulius Antonius tit. S. Bartholomæi in Insula Card. S. Seuerinæ Maior Pœnitentiarius.
† Ego Hieronymus tit. S. Susannæ Presbyter Card. Rusticucius.
† Ego Petrus tit. S. Hieronymi Illyricorum, Presbyter Card. Beza.
† — — — — —
† — — — — —
† Ego Alexander tit. S. Praxedis Card. Florent.
† — — — — —
† — — — — —
† — — — — —
† Ego Augustinus tit. S. Marci Presbyter Card. Veronen.
† — — — — —

† Ego Simeon tit. S. Anastasiæ Presbyter Card. de Terra noua.
† Ego Scipio tit. S. Saluatoris in Lauro Presbyter Card. Lancellotus.
† Ego Henricus tit. S. Pudentianæ Presbyter Cardin. Caietanus S. R. E. Camerarius.
† Ego Ioannes Baptista tit. S. Io. & Pauli Presbyter Card. Castrucius.
† Ego Dominicus tit. S. Grisogoni Presbyter Card. Pinellus.
† — — — — —
† Ego Antonius Maria tit. S. Agnetis in agone Presbyter Card. Gallus.
† Ego F. Costantius tit. S. Petri in monte Aureo Presb. Card. Sarnanus.
† Ego Antonius tit. S. Stephani Presbyter Card. Saulius.
† Ego Euangelista tit. S. Matthæi in Merulana Presbyter Car. Cosentinus.
† — — — — —
† Ego Ioannes Franciscus tit. S. Mariæ in via Presbyter Car. Maurocenus.
† Ego Marianus tit. S. Petri & Marcellini Card. de Camerino.
† Ego F. Gregorius tit. S. Augustini Presbyter Card. de Montelpero.

Ego

† Ego Paulus tit. S. Cæciliæ Presbyter Card. Sfondratus.
† Ego Benedictus tit. S. Marcelli Presbyter Card. Iustinianus.
† Ego Augustinus tit. S. Laurentij in pane & perna Presb. Card. Cusanus.
† Ego Franciscus Maria tit. S. Mariæ in Ara cœli Presb. Card. à Monte.
† Ego Octauius ti. S. Alexij Presb. Car. Parauicinus.
† Ego Philippus tit. S. Onuphrij Presb. Card. Placentinus.
† Ego Hieronymus tit. S. Pancratij Presbiter Card. Mattheus.
† — — — — — —
† Ego Flaminius tit. S. Clemẽtis Presb. Card. Platus.
† Ego tit. S. Mariæ Angelorum Presbyter Card. Borromæus.
† Ego Lucius tit. S. Quirici & Iulitæ Presbyter Card. Saxus.
† Ego Franciscus tit. S. Mariæ Transpontinæ Presbyter Card. Toletus.
† — — — — —
† — — — — —
† — — — — —
† Ego Alexander S. Laurentij in Damaso Diaconus Cardin. Montaltus, S. R. E. Vicecancellarius.
† Ego Ascanius S. Mariæ in Cosmedin Diac. Card. Columna.
† Ego Guido S. Eustachij Diac. Cardin. Pepulus.
† Ego Odoardus S. Adriani Diac. Cardin. Farnesius.
† — — — — — —
† Ego Antonius Diac. Card. SS. Quatuor Coronatorum.
† Ego Petrus S. Nicolai in carcere Diac. Card. Aldobrandinus.
† Ego Cinthius Diac. Card. S. Georgij.

M. Vestrius Barbianus.
Sebastianus Marcha Notarius R. apud Marcellum Secretarium.

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

Ossa Beati Hyacinthi pululantia ex Mausoleo suo in Ecclesia Sanctissimæ Trinitatis.


ECCLESIAM & Conuentum Cracouiensem Sanctissimę Trinitatis præcipuè exornat insignis sepultura S. Hyacinthi Confessoris tutelaris Polonię. Proinde reuersus ad eandem Ecclesiam quisquis es viator, ad manum læuā ingressus Ecclesiæ ascēde per hos altissimos gradus ad eiusdem D. Hyacinthi prominens Sacellum, monumentū hoc quod cernis ex alabastro perlucido, & alio subfuso artificio cum materie decertans, sarcophagum est S. Hyacinthi Thaumaturgi Poloni. Poloni dico, nō tantum Poloniæ. Vides & audis quomodo pullulāt ossa Hyacinthi de loco suo. Vides quō gemma hęc preciosissima lapide licet obruta, stupendas tamē virtutes vbiq; terrarum post apotheosim operatur. Placet ex innumeris quæ aspeximus & didicimus, aliquorum reminisci, quæ tū in Hispanijs, tum in lectissima Italia, alijsq; amplissimis prouincijs per hæc ferè tēpora, post Canonizationem, S. Hyacinthi inuocatione, mirāda patrata sunt. Bononia fęlicissima illa studiorum, mater totius Italiæ florentissima ciuitas, mille plus minus milliaribus disiecta est à monumēto hoc Hyacinthi,

thi, totidem fere Venetiarũ vrbs, Placentia, Ferraria, Mutina, Parma, Cremona, Mantua, Mediolanum, Casalis Montisferrati: maiori verò intersti tio Florentia, Sena, Camerinum, siue Camertum Vmbriæ, Roma & Neapolis. In ijs tamen & alijs vrbibus remotioribus, non modo ægri sanitate, verum & mortui vita precibus S. Hyacinthi, postquã is catalogo Sanctorum adnumeratus est, donati sunt.

Quo die referebatur Hyacinthus in album Sanctorum, anno Domini 1594. Rodigij apud Fratres Minores; ad imaginẽ Sanctissimæ Virginis, energumeni nescio quo spiritu acti, proclamantes accurrebant. Hodie (inquiebant) in Ecclesiam introducitur, quidam qui magnã castris nostris inferet cladẽ. Non sua sponte dæmones, nemine tamẽ extra exorcizante, sed Iacintho iam radios fulgoris sui per Italiam exerente, ab obsessis fugiebant. Ex tunc Icona illa miraculis indies fulgere cępit.

Florentię in dicta solẽnitate S. Hyacinthi prima post Canonizationẽ, multam tunc lętitiã vniuersa ciuitas, demonstrare nitebatur. Adornabãt magnificentissimo apparatu Ecclesias Ordinis nostri S. Mariæ Nouellæ, & S. Marci: Sabæos odores vbiq; suffumigabant. In omnibus fere turrib. copiosos ignes accendebant, lętitiæ ingentis indices. Inter hæc solemnia contigit quendam ex eminente turri S. Marci misere delabi in terrã. Fractæ erant ex lapidum & hominis casu aliquot tegulæ, Ecclesiæ, & Conuentus qua parte ceciderat ille. Tamen ille oratione S. Hyacinthi, cui festiuos honores parabat, infractus & illæsus ad terrã vsq; decidit. Ex qua ilico prosiliens ad ecclesiam incolumis & ouans processit, & nouis affectibus populos in Sanctum Hyacinthum inflammatos, nouo in se demonstrato miraculo ad nouam lætitiam inuitauit.

Ibidem quędã Monialis S. Dominici in Conuentu S. Catherinæ phtysi diuturna iam fere cõsumpta, eodem pene tempore per vota S. Hyacintho nuncupata subitam miraculosè sanitatem recepit.

Anno autem præsenti quo hæc scribimus, scilicet 1605. apud mõtem quem Varcum vocant Florentini, puer quidam in cellam vinariã, aquis ex imbrium vehementi decursu redundantẽ, è scalis cadit, obruitur, præfocatur. Diu alibi quæsitum, nec. n. putabatur illuc cecidisse, tandẽ reperit mater, sed iam exanimem & turgidum: animi gratia aderat illic ciuis quidam Florentinus cum vxore, qui forte fit obuiam matri necẽ pueruli deplorãti. Explicat illi afflictę matri quæ miracula D. Hyacinthus indies patrat, ad vota sibi spoponsa, ad hæc eandẽ debilem hortatur. Paret mulier, vota spõdet, supplicat, filium suum à mortuis viuum surgere videt, grates ingentes Deo & Sancto Thaumaturgo persoluit.

Soncinni agebatur eadem solẽnitas S. Hyacinthi anno Domini 1594. die 15. Iunij, aridam tubicen quidam habens manum, qua nec victũ quærere, nec cibos ori inferre poterat, accessit ad altare Sancti Confessoris, suppliciter exposcens Hyacinthũ, sibi quoq; non deesse dignetur, sed vi-

uido rore, desiccatos irrigare neruos, manumq; contractam rursus extēdere, & primo robori restituere velit. Dum in oratione persistit, ecce protinus quasi vincla quædam manus suæ confracta persensit: mox manum, ac si nullo vnquam affecta fuisset malo protendit, prima sanitate recuperata.

Eodem anno die 16. Augusti, quæ S. Hyacintho consecrata solēni ceremonia à Mediolanensib. colebatur, dum statuam D. Hyacinthi Fratres religiosissimi ex conuentu S. Eustorgij in processione deferunt, quidā pater duas suas filiolas, diuturna & graui infirmitate confectas, Sancto cōmendatis, illico è lecto & infirmitate exilientes læsus aspexit.

Venetijs alter in Sanctum Hyacinthum nuper canonizatum, & ab vniuerso orbe summa cum animi alacritate in Patronum receptum, maledicam vibrans linguam, cum plurima indigna in eum protulisset, febri ardentissima correptus, totus exæstuans ardores inferni sustinere sibi visus est. Ad se reuersus, oratione ad S. Hyacinthum profusa, vt in se quoq; beneficium, quod in alijs etiam morbo afflictis ostendere velit, ab ea flamma ereptus est.

Ibidē Illustrissimi Bragadini S. Marci Venetiarum Procuratoris coniunx, pedum maximis cruciatibus multo tempore vexata, ita vt nec incedere, nec loco consistere posset antea, post supplicationes Hyacintho factas, doloribus abactis, vsum eorum integerrimum obtinuit.

Anno 1595. intempesta nocte S. Antonij Confessoris, nauis quædā Veneta in Ionio mari periclitabatur, nymbus enim sæuissimus excitatus, omnia conseruandæ & tuendæ nauis instrumenta partim fregerat, partim conquassarat, vela disciderat, euulserat arborem, antennas disruperat, rudentes omnes minutatim distraxerat funesta illa tēpestas. Quodq; maius, nauclerum Bernardinum vocatum, in puppi pene exanimatum, restis ventorū furijs impulsa in profundū pelagi septem passibus longius à nauigio eiecit. Obruebatur immensis fluctibus nauis exarmata. Nauclerus in abyssum deiectus pene iam absorptus fuerat, vbi ad D. Hyacinthū confugit, ipsius implorās suffragium, illico ei præsens adfuit. Apparuit supra fluctus visibili specie calcans vdo pede furibundas aquas, sæuam tempestatem maris cohibuit, rudentis parte correpta, manus, Bernardino naufraganti porrexit, illum per septem passus incolumē ad nauim reduxit, sedatisq; procellis, vento prospero, & secūdis fluctibus Venetias sospitē comitatus est, tale testimonium votiua Diuo *Hyacintho* tabula perhibentem. A.D. 1595. la notte di S. Antonio io Bernardino ritrouandomi in mare con vna gran fortuna sopra Corfù (Corcyrea est insula) la scota mi buttò piu di sette passi de nauilio in mare. Iui chiamando S. Giacinto glorioso, lui mi porse il cao della scotta in mare, e cosi son liberato.

Altera nauis Veneta, quam Triuisanam vocant vulgares, anno Domi-

nì 1597. die 26. mens. Februarij, in sinu Tarentino fluctibus maris agitabatur, maximũ in modum, tempestate enim grauissima subitò exorta, nautæ omnes vehementissimè consternati, ex animo penitus secesserunt. Non hic quispiam sua obibat munera, nullus retrahebat vela, nullus anchoras in profundum gurgitem iactabat, non nauclerus flectebat gubernacula, vnus alterum præ immensa fluctuũ iactatione non conspiciebat. Nulla omnino spes euadendi periculum fuit, oẽs siquidem quasi inferni voraginem sibi apertam arbitrabantur. Carolus eius nauis nauclerus, multos Sanctorum primò in auxilium vocarat, vbi tamen nullum sibi adesse cõspexit auxilium S. Hyacinthi expostulat interceptionem. Videres tunc, cum primum vota nuncupauit Hyacintho, quod de repente furentes venti in suas se cauernas abdiderunt: statim tumidi fluctus sedati, & naufragantes liberati sunt. Fidei ab eodem Carolo datæ ea series est: Io Carletto patron, con la naue Triuisana, in golfo di Taranto, alli 26. di Febraro, 1597. fui assaltato, da vna fortuna crudelissima, per la quale tutti s'hauemo visto persi, & tutti abbandonati. Doue ricorsi al Signor Dio, vodãdomi alla gloriosissima Vergine Madre sua, & à S. Giacinto, subito del tutto fussimo liberati, cessando immediate la fortuna. Et questo ho riceuuto per gratia speciale, oltre tante altre hauute & riceuute dal Sig. Dio, per intercessione della glorios. Vergine, & del glorioso S. Giacinto.

Nuper quoq; scilicet anno D. 1603. die 6. Octob. Venetijs, mulier quędam magno cum vitæ discrimine, puerum exanimatum peperit, eũ Diuo Hyacintho deuouet, vitę redditum miraculose lætabunda accipit.

Bononiæ vero Anna de Coradinis morbo caduco acerrimè vexata, post supplices preces Hyacintho oblatas, à tam tetro malo liberata est.

In eadem vrbe Franciscus Trebilius manus inflatæ dolores maximos, votis Hyacintho factis simul cum tumore fugauit.

Dionysius Pas, Camillus ex Vrsinorum familia Margarita Vrsini dolore vehementissimo capitis Bononiæ discruciati, meritis S. Hyacinthi sublenati sunt. Vnus ibidem ex Illustrissima Malueziorum familia dolore grauissimo pedum, multis annis laborans, contractus, Hyacinthi oratione primæ sanitati restitutus fuit.

Non hic commemorabo Reuerendissimum Oliuetanorum Generalẽ, quem iam oleo Sancto perunctum, viã vniuersæ carnis ingredi incipientem, Hyacinthus Bononiæ à porta mortis reduxit ad vitam.

Non eiusdem vrbis Satellitum præfectum: non duorum Nobiliũ Bononiensium filios, non Barbatium perillustrem ibidem Bononien. ciuem, vltimum agentes spiritum, per Hyacinthum à sæuissimæ mortis incursu præseruatos, & quasi iam ex tumulo erutos, proponam.

Proponam quod quidam in eadẽ vrbe vita functus, vitæ redditus est, sub annum Dominicæ incarnationis 1596. Ioannis Libbij Bonon. ciuis, Ioannes Iacobus filius quidpiam ludicri agens in domus altissimo sola-

rio (aiunt insecutum esse felem) de eminentiori fenestra in terram deorsum vsq; decidit: accurrunt parentes ad pueri casum, vehemētissimè moti, atq; conturbati. Ad quem vbi veniunt, nec vnum verbum ab eo extorquere possunt, linguæ enim vsum statim ex grauissima collisione amiserat. Non ploratus aliquos vel singultus ex puero audiunt. Pectus siquidē contusum fibras occluserat vocales. Sanguinem tantum, ex oculis, naribus, ore, & auribus, & ex vulnere manare non stillare circumspicientes, iam iam animam spirare existimant. Non illa tantum hora horrendum spectaculum de se præstiterat miserabilis puer, illo toto integro die, & nocte sequēte decubuit lecto, vsu loquelæ penitus amisso. Discerpebatur animo ex angustia parens, eiulatibus omnia complebat familia, vel mortem leuem & citam, non tantopere diuturnum cruciatum pusionis, vel suos prius cinere sepulchrari operiri oculos, ne miserandam tragędiam conspiceret, optabat mater. Illuxerat altera dies, puer grauius ægrotare, & torqueri miserabilius cępit. sanie & sanguine repletum guttur, anhelitum illi præcludebat. Tandem paulatim tabescentibus artubus, extremum exhalauit spiritum. Hinc in lamenta resoluta mater fugientem animam persequitur, exanimis pene effecta in terrā cadit, vocibus tragicis suam infęlicitatem deplorans. Quid faciat, & quemadmodum animam pueri ad exangue corpusculum reuocet, perquirit. Venit illi tandem in mentem S. Confessor Hyacinthus, quem insignibus miraculis clarissimū in Sancti Dominici Ecclesia inaudierat, & aspexerat. Mox prostrata cum lachrymis animo męrenti quidem, sed inflammato eius opem quæritat. Miserere, aiebat afflictæ ancillæ, quæ ad tuum confugit patrocinium, ne despicias, oro, peccatricem hanc, quæ tuis aduoluitur pedibus, succurre orbitati nostræ, spem meam quam in hoc filiolo meo locaram in eo collapsam erige. Subueni tandem & huic innocenti pusioni, pro quo tuum posco patrocinium. Potestati tuæ, nihil esse vel difficile, vel impossibile, stupendis in nostrates mirabilibus gestis declarasti, declara & in me desolata, demonstra & in isto dira morte contuso infante. Nō vana fuit matris supplicatio, neque frustra lachrymæ profusæ. Cum primū ardentissimas Hyacintho fudit preces, is qui mortuus fuerat, reuixit, & post dies decem, quibus propter fibras gutturis sanguine concreto repletas, nil loqui poterat, perfectam à morte salutem, & membrorum sanitatem integrā recepit: Tabella altari S. Hyacinthi Bononiæ appensa hæc in verba testatur, miraculū esse patratum. Anno D. 1596. à 27. d'Agosto, Gio. Giacomo figliuolo del M. Giouanni di Libbi, cadendo giù d'vna fenestra altissima il giorno seguente stette vn'hora morto, & giorni diece senza parlare, fu raccomandato al glorioso S. Padre Hyacinto, da suo padre, & cosi fu liberato. Latino idiomate is est tenor, fidei à parentibus in tabella prolatæ. Ioannes Iacobus Ioannis Libbij filius, ceciderat ex altissima domus fenestra, die sequenti vltimum obierat diem, postquam vnius ho

ræ ſpatio exanguis iacuiſſet: diebus vero decem loquendi vſu priuatus eſſet. S. Hyacintho commendatus tandem ſanus & incolumis parentibus reſtituitur. Hæc in Bononienſi ampliſſima ciuitate, acta eſſe, atque pub. tabul. conſignata proprijs aſpeximus oculis.

Placentiæ itidem (quæ Lombardiæ opulenta eſt ciuitas) quendã puerum octo horarum ſpatio exanimem mortuumq; interceſſione D. Hyacinthi ad vitam eodem anno reuocatum, vniuerſi ciues apud ædem Prædicatorum ad eiuſdẽ Sancti aram, miraculis fulgentem innumeris aſpexerunt. Aſpexerunt & ſub eadem fere tempora Camertes ciues alterum mortuum Sancti Hyacinthi ſuffragijs à feretro ad vſuram lucis exſuſcitatum.

Sed & Caſalenſes Montisferrati aſpexerunt Carolum Zanchetum (is erat miles præſidiarius Ducis Mantuæ) ex grauiſſima febre mortuum, ope Hyacinthi implorata rediuiuũ. Iacuit is vna die & nocte defunctus. Mœrore perdita mulier, poſt multos ploratus S. Hyacintho vota ſpondet, ſi ſcilicet ſuum maritũ à morte ad vitam excitare dignaretur, lychnum ad altare ipſius ſingulis Sabbathis perpetuo accendere, tot deinde ſacra perſoluere, voti ſoluendi gratia promittit. Virum poſtea nomine Hyacinthi compellat, vt ad vitam redire velit per Hyacinthi nomen obteſtatur. Et ecce ad vota ore mulieris Hyacintho ſpoponſa, nomenque Hyacinthi auribus mortui ingeminatum, qui exanguis decumbebat, repente ſurrexit: adq; Hyacinthi aram accurrens, vota nuncupata exoluit. Aſpexit hoc miraculum Paulus Maria Brignanus Sacræ Theol. Lector, aſpexit & P. F. Dionyſius Raymundi Finarienſis, aſpexerunt & vniuerſi Fratres Cœnobij S. Dominici Caſalenſis, ad prodigium adſpectandum congregati. Aſpexit & vniuerſa Caſalis, tabellam & lampadam, ex tolo penſilem ad altare S. Hyacinthi. Anno Domini 1594. menſ. Septemb. affixam & appenſam, quibus Carolus Zanchetus teſtimonium dabat, ſe vita functum, meritis & interceſſione S. Hyacinthi, rurſus ad vitam reſuſcitatum.

Iam vero Romæ Tiberium Ceulum ciuem ampliſſimum, ſub tempus Canonizationis ſuę ad extrema vitæ deductum, propter vota ſibi dicata ab deſperata infirmitate, ipſiſq; mortis faucibus ſanitati vitæq; reddidit Thaumaturgus Hyacinthus.

In Hiſpanijs quoq; multa admiratione digna operatur Hyacinthus. Sub annum domini 1596. Hiſpalim ampliſſimam ciuitatem fluuius æſtu maris retrocedẽs, immenſaq; mole aquarum turgens, totam fere obruerat. Pro ſolenni celebratione tunc indicti futuri generalis Capituli, præſens tunc aderat Reuerendiſſimus Pater Generalis Magiſter, Prędicatorum Hippolytus Maria de Monte regali. Qui conſilio diuinitus quidem inſpirato compaſſione ſuper miſerandos ciues commotus, quin & periculo præſentiſſimo adactus, Proceſſionem cum ſuæ religionis, Conuen-

tus

tus S.Pauli Fratribus, instituit, vt cum Diui Hyacinthi sacrosanctis reliquijs quas religiosa pietate gestabat patrocinium eius implorantes ad vsq; proximè labentes aquas exirent. Inspectatum prodigium, vbi Sancti Hyacinthi opem quæsiuerunt, & vbi cum eius sacrato osse brachij, ad aquas tumentes, sæuientesq; processerunt deuoti Religiosi, illico exilientes vndæ, ac si flabro discussæ, in momento horæ in vastam maris abyssum cœperunt.

Prolixior essem si recenserem illa miranda Cæsaraugustæ facta, postquam solennissimo ritu colere cœperunt D.Hyacinthum, suasu, impulsuq; Reuerēdissimi, nunc fęliciter moderni, sapientissimi, & Religiosissimi Magistri Generalis P.F. Hieronymi Zauierre. Extat libellus ibidem apud Laurentium Robles Typographum Regni Aragoniæ 1595. de his Hispanico idiomate excusus. Mirum & inauditum est, qua deuotione ciuium illorum, totiusq; Hispaniæ ad cultum admissus est D.Hyacinthus, mira inuisaq; apud eos vniuersos virtute sua operans. Ad hunc te remitto. hæc pauca tamen depromo, quæ de miraculis S. Hyacinthi, in Hispanijs patratis cæcinit inter alios Petrus Orlizius:

Christus hæc nunquam legitur dedisse
Signa, sed raris decorasse rarum.
Ipse communi modo lege fulsit.
Prodigiorum.
Numinis splendor, radiumq; lucis
Gloriæ lucem referentis æquè
Hunc sibi refert, radiare passus
Luce minore.

Nec in Europa solummodo his fulget miraculis Hyacinthus. Fulget & apud Antipodas, Indos Occiduos, & Orientales. Reminiscor eorum, quæ ipse audiui, tunc dum Romæ Capitulo generali multi Patres Religiosissimi ex Indijs, Orientalibus, & Occidētalibus anno Domini 1601. interesserit. Innumera hi referebant apud illos populos extremos inuocatione Sancti Hyacinthi gesta miranda. Recensebant graui valetudine pressos, perfectè curatos, cæcos illuminatos, claudos in pedes erectos, surdorum aures patefactas, mutorum linguas solutas, mortuos vitę redditos, ab energumenis dæmonia pulsa, votis Diuo Hyacintho dicatis. Inter alia illud apud omnes Peruanos clarissimum recensebant. In ciuitate Argenti Hispanis della Plata dicitur, Satrapæ cuiusdam coniunx decennio integro à fluxu sanguinis vehemētissimo de vita periclitabatur, Mos apud eos inoleuit, labarum imagine S. Hyacinthi depictum & consecratum à quocunque tum domi, tum in vineis & agris suspensum haberi, extra quidem grandinis, domi vero imminentis cuiusuis periculi propulsandi causa, oratione eiusdem Sancti. Defert illud Satrapa in domum, mulier rerum ignara auet scire quid sit. Explicat ille statim; mox

virtutes

virtutes Hyacinthi extollit, corripit auida vxor sacram iconam, mox vtero applicat, seque inuoluit in eo, fide plena. Sanguis sistitur in oculi momento sistitur; & illa prodigio sanata ad aram Diui Hyacinthi, cuius ope incolumitatē accepit. Hæc ex minoribus operibus S. Hyacinthi aiebant illi esse, alia quæ fidem humanam excedere videntur prætereo.

Sacram vero aliquam vel minimam Reliquiarum Sancti particulam, quam pia contentione illi Patres extorquebant à nobis, ne dicam emendicabant? Thesauris quibuscunq; preciosiora illa sarmenta ossium, suis Indis delatum. Propter hæc & alia inuisæ magnitudinis miracula à D. Hyacintho, vbiq; terrarum patrata, vbiq; locorum, (in quibus vestigia Prædicatoriæ Religionis extant vel minima) videre licet Hyacintho extructas aras, constitutas imagines, statuas erectas, consecrata sacella, ornata & dotata. Ecclesias non paucas ædificatas, tabulas argenteas & aureas, vota ex cæris, auro, argentoq; ficta, innumerabilia dicata, propter potestatem rerum maximarum, & admirabilium, in toto orbe terrarum ingentibus factis declaratam.

Deinde vides quomodo per tot annorum miriades, Mausolæum eius miraculis illustrissimum non tantum à Polonis, verum & ab extraneis, pura mente colitur & frequentatur. Quinquaginta quatuor ad vsque diē Canonizationis Sancti Hyacinthi morte absorpti mortales ope eius ad vitam reuocati hic censentur. Septuaginta sex iam morituris Hyacintus hic perfectam sanitatem restituit. Centum triginta quatuor graui valetudine oppressos curauit. Triginta sex magno dolore capitis affectos liberauit: vigintiduos vehementi dolore dentium afflictos sanauit: quinquaginta oculorum doloribus cruciatos, ex quibus nonnulli cæci erant, lumen reddidit: triginta tres gutturis, colli, linguæ, & oris doloribus pressos ad sanitatem reduxit: tribus surdis auditum restituit: quadraginta duos pectoris, stomachi, & intestinorum doloribus languentes adiuuit: octuaginta tres pedum & manuum dolore languentes liberauit: quadraginta octo febribus vexatos sanos effecit. Ab octo celiacos dolores pepulit: vigintinouem ex elephantico morbo eripuit: decem & octo à morbo comitiali vindicauit: duobus tabe affectis, sanitatē dedit: sex paralyticis & membris dissolutis vires restituit: duodecim aqua intercute tumescentes curauit: vigintitribus diuersis vulneribus concisis sanitatem reddidit: duas steriles matronas, prole donauit: triginta tribus parturientibus matronis, & in partu periclitantibus subuenit: quadraginta totius corporis quassatis doloribus opem tulit: quinquaginta quinque diuersis casibus agitatis, succurrit: nouem animalia rationis expertia debilitata, atq; alio vitio affecta, in pristinum statum restituit: triginta & octo extant visiones & apparitiones diuersę, quib. ægri & morientes sunt ab eo recreati & subleuati. Innumeri Christiani, varijs de causis afflicti, nō semel solū, sed sæpissimè voto facto, voti cōpotes effecti sunt.

Camil. Baliani collegit ī Orat.

Ad vsq;

Ad vſq; diem quo Sanctus Hyacinthus Sanctorum titulo à Clemente Octauo Pontifice Maximo, ſummo applauſu orbis inſignitus eſt, percen ſe mihi has tabellas pictas è cæris, argento, & puro auro formatas, votiua donaria, quas Italiæ, Galliarum, & Hiſpaniarum populi, vltra noſtros populares, D. Hyacintho appenſa eſſe voluerunt. Lychnus iſte argéteus penſilis non minore precio quam arte, & etiam mole conſpicuus donarium eſt Sereniſſimæ Ferdinandi Magni Etruriæ Ducis, conſortis. Audis itaq; quomodo S. Hyacinthus, Romę, Neapoli, Bononiæ, Mediolani, Venetijs, quin, vt breuiſſimè referam, tota Italia, Hiſpanijs, Indis, quoq; Occiduis & Orientalibus inumeris fulget miraculis. Thaumaturgũ hunc agnoſce, teq; ei ad præcelſam hanc aram deuoue. In hac enim ara, eo in loco, quo Sacerdos, Sacrum Euchariſtiale explicat, repoſita eſt eius gleba. Superius vero ſub marmoreæ Diui ſtatuæ capite. B. Viti oſſa condita ſunt.

FINIS.

